

DE RATIONE
ELIGENDORVM
REGVM POLONIÆ

STANISLAI KARNKOWSKI
Episcopi Vladiſlauiensis & Pomeraniae

EPISTOLA,

Cui adiunctus est Panegyricus

A D

HENRICVM VALESIVM
POLONIÆ REGEM,

ET DE

PRIMATV SENATORIO
REGNI POLONIÆ

Eiusdem Authoris

TRACTATIO.

Poſnaniae, Anno Domini, M. D. XCIII. V

E. XIX 122

OS) F (SC)

DE MODO ET OR- DINE ELECTIONIS NOVI REGIS,

Rationeque eligendi REGES. POLONIAE,

A D

MARTINVM CROMERVM EPISCOPVM VARMIENSEM,

*adel in illa via cum
ad lib. et in
opera Karolkotii editi Lib. III. Ed. 66. et p.
Ogitanti mihi, & vetera memoria repetenti
ti, ex omnib⁹ beneficijs Regno, à Deo Opt
datis & concessis, nullum, nec ad gloriam
illustrius, nec ad utilitatem maius, nec ad
perfectionem pulcherrimi operis magis ab
solutum, nobis & regno huic contigisse vi
detur; quām quōd eius gratia negotium electionis promō
vente, consensu omnium, Serenissimum Principem Hen
ricum, fratrem Christianissimi Regis Galliarum Andium
Ducem, in Regem nostrum elegerimus. Verè enim iudi
cando, nemo mortalium facilē credebat; vt tot nationes,
linguā, moribus, legibus, studijs, voluntatib⁹, religionibus,
inter se dissidentes, in vnum, eumque externum, terra ma*

A

rique

314
DE RATIONE ELIGENDORVM

Si que disiunctissimum conuenirent. Ex tam enim Senarum & Equestris Ordinis conuentu frequentissimo, iam cum in suffragia icum esset, vix quarta pars alio voluntates suas conculerat: ita, ut nulli iam dubium foret, eum & non aliud quenquam nobis regnaturum fuisset. In quo eligendo, quoniam cessarunt omnia impedimenta & difficultates: rediitque in summa licentia charitas, prudentia, ordo, modus, obsequium: a Domino factum credimus, & est mirabile in oculis omnium. Quo magis tam inusitatam & inauditam clementiam silentio praeterire nos minimè oportet: quin immò omnes immensas Deo Opt: gratias agere decet: qui non solum nos Regnumque hoc ab interitu & opprobrio vindicauit; sed etiam salutem Reipub: nostræ, libertatemque Regni, qua præ cæteris gentibus gloriavimur, sartam, testamque representauit. Ut igitur tale & tantum beneficium in animis & memoria hominum, non solum vigeat; sed etiam ad posteros transmittatur, eisque exemplum ad imitandū prodatur: confeci Commentarium interregni, quem Dni vestræ R^{ma} mitto: & ab ea (quæ primas, vt olim Salustius in Romana, sic illa in Historia nostra, summa cum laude nominis per vniuersum orbem obtinet) maiorem in modum peto, vt eum colophonem historiæ addat. Et initia quidem, progressus, quid quoq; loco actum sit, ex eo ipso Commentario deprehendes. Cærum de ratione consiliorum, & progressu electionis, nonnulla R^{ma} P. vestra scribenda decreui.

Evidem in omni electione hæc tria à directoribus prouidenda esse existimo. Primum, ut iij qui eligunt, sine ullo metu, eligendi potestate utantur. Deinde, ut recto iudicio, ordine debito, & modo legitimo. Postremò, quod est omnium maximum, ut cum summo timore Domini ad electionem accedant. Ea omnia in electione Regis nostri, summâ

REGVM POLONIÆ:

summa fide, curâ, & diligentia à Senatoribus provisa & fa-
 cta esse reportes. Principiò enim confinia Regni præsidijs
 firmando; deinde, pacem domesticam, constitutis iudicijs
 extraordinarijs, astringendâ decreuerunt. Postremò, mo-
 dum & rationem eligendi Regis tam popularem adinue-
 decunt, à qua nullus eques exclusus, nullus circumventus
 esse videretur. Diem & locum Comitiorum, habito de mo-
 re & lege inter se consilio, edixerūt. Sed quia omnes, vnum
 oppidum capere non poterat, de mādato Senatus, per Of-
 ficiales Regni, singulis Palatinatib⁹ oppida & pagi adiacé-
 tes pro diversorijs distributi sunt. Ad communia verò con-
 filia capienda designatus est ager propè civitatem pace pu-
 blica sacratus. Erat campus latè patens, in quo extensem
 erat tentorium ingentis amplitudinis: circumquaque am-
 biebant tentoria Palatinatum sive terrarum. Convenit
 frequentissimus Senatus, & numerosissimus Equitum ex-
 ercitus. Postquam igitur externorum Principum in maio-
 ri tentorio auditæ sunt legationes, & ab vniuersis conclav-
 matum esset; vt declarante & proponente Archiepiscopo
 Gnesnen: velut Primate Regni, ad eligendum Regem pro-
 cederetur: factum est, vt decernente eo ex sententia Sena-
 tū, vnuſquisque se ad tentorium terræ sive Palatinatus sui
 iuxta præscriptum receperit. Ivēre quoque Episcopi & Se-
 natores: ac quem quisque locum de more & consuetudine
 in terris & Palatinatibus vivente Rege habebat, eundem
 ritus sancti gratiam in singulis Palatinatibus decantato: vi-
 deret Paternitas vestra R⁹ mirifica hominum studia in-
 Henricum Regis Galliarum fratrem propendentia: vide-
 ret alios lachrymas fundere, & vota pro eo Deo nuncupare;
 alios hastas lilijs insignire: audiret diversis in locis vo-
 ces postulantium cum, resonare: alios ita in suffragia rue-

DE RATIONE ELIGENDORVM

re, ut actum esse putarent de Republica, nisi is eligeretur. Tantus inerat animis ardor, cum incredibili cupiditate coniunctus: tanta vis amoris mentes hominum accederat. Postquam igitur Senatores, cum ijs, qui erant ab Equestri ordine ad audiendas legationes deputati, postulata & capita earundem retulerunt: Equites suo quisque loco sententiam liberè, nullo eos impediente, aut sermonem interrumpente, à maximo usque ad minimum, cum causarum etiam explicatione, dixerunt: praeuntibus & informantibus Senatoribus, à quibus conciliabantur sententiae, & ad minimum numerus Candidatorum redigebatur. Tandem finitis sententijs, nomen Candidati, & nomina Equitum, ac numerus suffragiorum, in scripturam redigebatur, & sigillis eorum, quo cum maiore fide Senatui exhiberetur, obsignabatur. Manebat tamen cuique potestas mutandi sententiam. Relata sunt deinde scripturæ sigillis obsignatae ad maius centorum in confessum Senatus: lecta & recitata sunt nomina Candidatorum; itemque numerus & nomina suffragatorum uniuscuiusque. Si numerus suffragiorum spectetur, vicit Henricus omnes, & aded quidem vicit, ut cæteri omnes pariter eum non adæquarent. Sed cum in electionibus liberis id maximè cavendum esse videatur, ut non ferrum, non aurum, non acclamatio; sed recta ratio, publica utilitas, & persuasio locum habeat: res deduxta est ad iudicium & ad calculum examenq; rectæ rationis. Ego autem id factum esse reor ad amplificandam, & eò magis illustrandam Regis electi laudem & gloriam: quo manifestè constaret, eum non casu & fortuna, non vulgari aut iuvenili impetu, aut temeritate, vel favore: sed interposita autoritate & iudicio gravissimo, Regem esse creatum. Cum multum diuque deliberaret Senatus, quæ ratio esset ineunda examinis: nulla melior visa ea, qua Græci

REGVM POLONIÆ.

Græci & Romani olim, ac vt audio, nunc Veneti, in deli-
berationibus gravissimis, tam actionum publicarum, quām
causarum forensium vtuntur. Editi sunt advocati, singulis
Candidatis, Senatores tres (ex quorum numero ego quoq;
eram) qui eorum partes, servato cuique suo honore, tutati
sunt. Res acta est eisdem judicibus, quibus & testibus. Non
erat illud certamen adulatio[n]is, sed veritatis: certabat ra-
tio cum ratione, argumentum cum argumento, causa cum
causa. Expendebantur rationes honestatis, commodorū,
incommodorum, & periculorum. Nihil ibi intentatum,
relictum est, quod ad hoc negotium spectare quoquomodo
videretur. Rigidum sanè & acre examen.; sed nobis ac
Rei publicæ nostræ necessarium, quo libertas, salus, & se-
curitas Reipubl: Regni fundabatur.. Erant nonnulli Pri-
mores Regni, viri claritate familiarum præstantes, & om-
ni genere laudis conspicui, ad gubernacula Regni nomi-
nati, & multos habebant suæ causæ fautores. Quamvis au-
tem ij virtuti suæ confiderent: sed vt ne censura de absen-
tibus haberetur, & quod imperaturus omnibus, non solùm
ex nostris, sed ex omnibus eligendus esse videretur, vltò
& sponte suâ ante incœptum examen suffragiorum præ-
rogatiua sese abdicarunt. Porrò post conflictum rationum
& argumentorum, ex his, qui Henrico suffragabantur, ne-
mo; qui verò alijs Candidatis, plerique de sententia sua
decesserunt, & suffragia sua in Electum transtulerunt. Qui
autem ex his tenaciores sui propositi erant; (vide singula-
re exemplum fratrnæ charitatis) cùm assurrexisset Sena-
tus, precesque & authoritatem interposuisset: factum est;
vt ij fratrnæ charitati honorem haberent, & mutatis sen-
tentijs suis, Gallorum Regis fratri adstipularentur. Sic illa
die concordia, Regis nostri virtute, nostro consilio, quæ-
sita est. Post talem consensum, postulatum est ab Archi-

DE RATIONE ELIGENDORVM

Episcopo, ut electum de more denunciaret Regem: ad quod
is paratus erat. Sed quia ea die sol vergebatur ad occasum:
ne quid ea res mali ominis haberet, potentibus alijs, denun-
ciatio in diem perendinum dilata est. Actum est id pri-
die Pentecostes: intercesserunt dies sacri Pentecostes, qui-
bus tuba Euangeli per vniuersum mundum intonuit. Scu-
poris sane & admirationis res plena est. Quis enim vn-
quam audiuit vel legit, prorogari, non solum in dies ali-
quot; sed in horam consensum electionis, cum vnum pun-
ctum & momentum temporis magnam conuersionem a-
nimorum afferre soleat? Sed voluit Deus Opt: Max: præ-
destinationis suæ immutabilem voluntatem hac constan-
tia voluntatis nostræ clarescere. Die Lunæ sequenti nihil
de voluntate & ardore animi imminutum: quamobrem,
nulla interposita mora, cum de alijs inter nos non conve-
niret, de Henrico in Regem denunciando nihil contro-
versiæ erat. Itaque Reverendiss: Archiepiscopus, & ele-
cto Regi & Reipublicæ totique Christiano orbi fausta præ-
fatus, Henricum Andium Ducem solenni ritu Regem de-
nunciauit. Quam denunciationem, quæ & quales accla-
mationes, egregiæ volūtatis significatrices, subsecutæ sint,
totus ille campus resonabat gratiarum actionibus, clangore &
sonitu tubarum, omnes privatim & publicè, domi & foris
vehementer lœtati, fausta & felicia Regi suo ex animo pre-
cabamur. Eadem die acciti sunt Gallici Oratores, ad tra-
stantum de conditionibus oblatis: quæ licet luculentæ es-
se viderentur: non tamen tantæ, ut prius de ijs verbum fa-
ceremus; quam in personam Regis conventum fuisset.
Ex quo apparet, nostros in Rege eligendo non spectasse
commoda, quæ offerebantur: sed solam virtutem: non
quid daret aut secundum afferret, sed qualis Princeps futurus
esset.

369

REGVM POLONIÆ.

esset. Conventum de conditionibus. Diē demum quarto,
de more & consuetudine, Marschalci Regni, denunciatum
in consilio à Primate, de omnium sententia Regem pu-
blicarunt, cum promulgatione edictorum per vniuersum
Regnum. Quantum iterum ea die lœtati sumus: quantas
Deo Patri omnium misericordiarum, & publicè, magnoq;
ad Templum concursu, & priyatim per omnes domos gra-
tias egimus: omnes norunt qui adfuerunt. Decebat ni-
mirum, vt vltima primis responderent; vt hoc negotium
desineret in gratiarum actione, cùm initium cœpisset ab
invocatione Spiritus sancti. Flere magis libet præ gaudio,
quād dicere; cogitanti mihi de ardentí devotione no-
strorum. Multi Senatorij & Equestris ordinis Viri, antiquo
more, Sacramento corporis & sanguinis Domini se procu-
rarunt: multi condonatis offensionibus & iniurijs suis
Reipublicæ, in gratiam redierunt. Hic ego Reverendiss:
Paternit: Vestræ mirabilem & inusitatam, ac planè Divi-
nam electionis huius rationem, quantum verbis consequi
potero, ostendam. Si Deus specie visibili in terras dela-
tus, ab hominibus dignè excipiendus esset, rem necessariā
omnes iudicarent, vt præparentur animi hominum ad
pietatem, reconciliarentur inter se dissidentes, pax priua-
tim & publicè coleretur, Sacerdos & omnis Clerus oraret,
turba infantū ac multitudinis ieiunijs se affigeret, Duces
populi & reliqui Sacramentis se procurarent: quo castis
mentibus, vestiti charitatis luce, iustitiae margaritis ornati,
nitidi honestate, Deum dignè exciperent. Simili certè ra-
tione & studio ad electionem Regis à nobis processum est:
hac mirâ varietate virtutum repurgati ad eligendum Re-
gem accessimus: vasa nostra sordibus vitiorum exhausi-
mus: offensas matuas & odia depositimus: Sacrificia con-
triti & humiliati cordis obtulimus. Non iudicauimus nos
idone-

520.
DE RATIONE ELIGENDORVM

idoneos; ut ipsi ex nobis faceremus electionem: eoq; cu-
piebamus aliquo signo doceri de voluntate Dei, qui sum-
ma hæc dirigit, qui nouit omnia utiliter dispensare: à quo
solo proficiscitur omne donum optimum, & omne datum
perfectum. Exaudivit Dominus preces nostras, & volun-
tatem suam nobis declarauit; primū, excitando foris fa-
mam nominis Electi nostri; deinde amorem illius in no-
bis inflammando. Vide miraculum. Qua hora de eligen-
do Rege agi coepit est: eo ipso temporis punto & mo-
mento, tot nationes, lingua, moribus, & locis inter se dis-
iunctissimæ, in vnius personam voluntates suas contule-
runt. Quid? poteratnē divinæ voluntatis certius edi testi-
monium; quām quod vno & eodem tempore corda &
voluntates hominum in vnum converteret? Non erat hæc
res humani consilij, sed Dei opus: ad cuius nutum & man-
datum repente ex nihilo substiterunt excelsa cœlorum,
profunda fluctuum, vasta terrarum.

Libeat ex his intueri divinæ benignitatis erga nos cle-
mentiam. Duo mala maximè omnium post mortem Re-
gis metuebamus, bella ab hostibus, ac motus domesticos
inter cives. Corrupta enim morum & artis militaris disce-
iplina, contumacia & dedignatio parendi in eorum locum
succelerat. Sustulerant ergo tum animos hostes: nec iam
nobiscum de sua libertate; sed de nostra servitute certabat.
At nunc melius quām sperabamus, gratia Dei, omnia eve-
nisse videmus. Rediit terror & metus hostibus; obedientia,
obsequium nostris. Moschus setenet: Valachus pacem pe-
tit: Turca nusquam alias legationem magis amicam cum
delatione auxiliorum, quām nunc, misit. Quid micet ma-
gis? prudentiamné, fidem, curam, diligentiam Senatus:
an verò obsequium & moderationem Equestris ordinis?
Scatim enim audit a morte Principis, quasi conspiratione,
facta,

REGVM POLONIAE.

facta, Conventibus actis in Palatinatibus quiq; suis, constitutis extraordinarijs iudicijs, vt ne qua vis aut cedes fieret, pacem domesticam firmarunt: & finibus Regni milite sti-
 pendario, qui arte militari & viribus polleret, prospexe-
 fuit: quorum pleriq; amore Patriæ voluntariè militarunt:
 alij verò qui ingenio & consilio præstarēt, ad Comitia Re-
 gni profecti sunt: quorum tanta reverentia erga Senatum
 enituit, vt in eligendo Rege nullum consilium separatim,
 nec per submissas aliquas personas agerent, sed communia
 consilia haberent. Adde, quod ad electionem procedere
 voluerint, nisi declarante id ex Senatus sententia Archie-
 piscopo, tanquam Primate Regni, cui propriè competit,
 consilij ordinem & processum electionis proponere. Con-
 stabat Marschalcis suum officium. Nam præter ius rogan-
 di sententias, mandante Senatu, distribuebant hospitia, &
 pacis publicæ custodes erant. Quæ quidem ita sanctè ab o-
 mnibus culta est, vt ante & post edictum de mandato Se-
 natu promulgatum, nulla cædes, nullum iurgium com-
 missum esse diceretur. Libet hinc commemorare insigne
 factum duorum Equitum, qui antiquas inter se inimicitias
 gerebant: cùm alter alterum in campo patenti conspexis-
 set, paucis id animaduertentibus, strictis gladiis ad se con-
 curserunt. Et cùm iam manus conseruiri essent, substicte
 fuerque, tali sermone ad se vñi: Nisi me reuocasset tempo-
 ris huius ratio, & amor pacis publicæ, ferrum inter me &
 te finem inimicitarum hac hora fecisset. His dictis, vter-
 que, nullo accepto vel inflito vulnere, recessit. Videt Re-
 uerendissima Paternitas vestra in ipso calore iracundiæ
 magnam moderationem animorum. Constabat etiam in
 eo actu cuique sua libertas. nam vniuersiisque nomen &
 suffragium in scripturam redigebatur: vt nec Candidatus
 fraudaretur suffragio, nesis qui suffragium ferebat, inani

B

liber.

DE RATIONE ELIGENDORVM

libertatis nomine gauderet. Neque verò quisquam satis dignè laudare potest; quod in territoriis & Palatinatibus iuncti fuerint Equestri ordini Senatores: quibus hæc prouincia iniuncta erat; vt in suo quisque territorio siue Palatinatu omnes rationes honestatis & commodorum, ad informandos aliorum animos, exponeret, sententiasq; conciliaret. Viderat enim prudentissimus Senatus; nulla ratione facilius posse conciliari diuersitatem & contrarietatem sententiarum, quām prudentia & autoritate Senatorum, qui melius cognitas habent rationes status Reipublicæ necessitatis, periculorum, & commodorum: secutus auctoritatem cuiusdam afferentis; In populari statu Rerum pub. ita demum à vulgo ritè mandari Magistratus & officia, cùm iunioribus intersunt Seniores, quorum illi reguntur consilio. Ac mea quidem sententia hoc consilium Reipub. nostræ salutem peperit. Cui autem verius competitio siue moderatio omnium actionum tempore interregni, quām Senatui? dico ynito. Necesse est enim ad hoc, vt sit ordinata multitudo, vnum aliquem eminere. Sed quis potius emineat; quām is, qui ætate, consilio, prudencia, loco, & dignitate cæteros vincit? Natura hoc ita fert & constitutio Reipub. nostræ. Constat enim Rege, Senatu, & Equestri ordine. Et alia quidem officia sunt Senatorum, viuentibus Regibus, alia Equestris ordinis. Sanè mortuo Rege, tribunalia & iudicia, quæ nomine Regis vigorem obtinent, cessant & silent: authoritas Senatoria, nū vñquam; certè eo tempore diffici ac periculo so in repræsentanda salute, & in dandis sanis & salubribus consilijs elucoscere, & pro ratione iurisiurandi præ ceteris eminere debet. Sanè tam Reuerendissimi Primatis, quām Sanatorum Regni tanta vigilancia emicuit; vt septimo post mortem Regis die, triginta plus minus Senatores, Louicium, veteri

Veteri more, conuenirent, ad consultandum de Républīca; alij vltro, alij literis invitati. Cernit Reverendissima Paternitas vestra corpus Reipub. nostræ, capite quidem, hoc est, Rege carens; viuum tamen, non mortuum. Videt, quomodo in salute Reipub. tuenda omnia membra conueniunt: suum quodque negotium agit: non se in alterius officium ingerit. Miles à finibus hostem arcet: Officiales siue Magistratus Regni, mandante Senatu, officia obeunt: Senatus lancem, libram, & Regulam agendorum tenet: Primas Regni omnes actiones è sententia Senatus moderatur & dirigit: reliqui parent. Ex quibus omnibus superius commemoratis, manifestissimè constat; quod nos eum Regem elegimus suo loco, suo tempore ad normam & præscriptum omnium ordinum Regni, summo iudicio, non tumultuariè: elegimus sine vlla difficultate, non inuiti, nec coacti, non pauci; sed vniuersi, non vnius status: sed omnium ordinum consensu, non necessitate; sed voluntariè, sine fraude & dolo. Volus enim & fraus cum timore Domini, fictio cum veritate & charitate, temeritas cum consilio, non commiscetur. Elegimus ex abundantia amoris, cum summa hilaritate & instinctu, ut credere par est, Spiritus sancti.

Euerit sanè quispiam detractor actionum Spiritus sancti, & diuinæ voluntati non obtemperans, honoris Regii atque laudis nostræ inuidus, qui dicat rem fuisse instructam. Quamuis & recens memoria facti, & hæc tota ratio eligendi Regis, apertam calumniam facile refutat: tamen augeamus suspicionem, vt diligens inquisitio adhibeat: excutiamus recessus & latebras animorum. Quæram ex eo: à nostris, an ab extraneis res instructa est? Si ab extraneis, quomodo verisimile est, quenquam tot nationes, spacio terrarum disiunctissimas, linguis & moribus inter se

DE RATIONE ELIGENDORVM

dissidentes, non solum obire, sed etiam ad voluntatem suā pertrahere potuisse? Sin à nostris, absit, ut hoc de fratribus credamus. Non nulli extranei homines, cursibus suis ac litteris scriptis leuiuscumlos rumores & suspicione inter nos sparserant: Deus bone, quām acriter inquisitum est in scripta, facta & dicta hominum? Graue erat, acerbum, & oculis non ferendum spectaculum, cūm in confessu & conspe-
ctu vniuersorum, viri nobiles & optimè de Repub. meriti, nullo teste, nullo arguento, nullo iudice, alieno loco & tempore, ex sola suspicione in crimen vocarentur. Nec tamen inquisitiones & vexationes huiusmodi, quas nostri Rug appellant, fructu suo caruerunt. Nam cūm non & oddò nullum crimen, sed nec suspicio quidem in aliquo m his hæsisset: factum est, vt alius de alio benē sentirec-
tus rem inspiceret: reperiet, nihil plus momenti ad ex-
pediendum hoc negotium attulisse, quām quod mitigatis affectibus, resecatis suspicionibus, vacui præiudicatis, sine dolo & fraude, purè, cum timore Domini, ad eum aëtum accessimus: ac veluti corbara aqua oculus nihil videre;
postquām luctum resederit, omnia penetrare potest: ita nos summotis suspicionibus, veritatem tanquam lucem aspeximus.

Hæc est vera & simplex rei gestæ narratio: hæc censi-
liorum ratio. Hic aëtus, mea quidem sententia, æterna
memoria dignissimus est; quo nihil illustrius, nihil utilius,
nihil pulchrius & perfectius esse potest. Nihil in eo abfuit,
quod adesse debuit; nihil adfuit, quod abesse debuit. Ab-
fuit metus, & qualibet vis: abfuit confusio, abfuit dolus &
fraus: abfuit libertas suffragiorum: abfuit deliberatio &
iudicium rectum: abfuit ardens studium & summa con-
cordia, abfuit pietas & deuotio.

Magnum


REGVM POLO NIÆ.

325

Magnum nos certè fructum, cum incredibili gaudio, in
 theatro totius orbis cœpimus libertatis nostræ; cùm eum
 optimum ex optimis Christiani orbis Principibus Regem
 & moderatorem Reipub. nostræ elegimus. Alijs populis
 Reges edit successio, casus, fortuna, sors: nobis eum con-
 silium sanum, iudicium rectum, libera voluntas, & chara-
 vnicas, opus verè Spiritus sancti, electam gemmam totius
 Christiani orbis (pace aliorum dixerim) edidit. Non híc
 sanguinis coniunctio, non vicinitas, non foedera, non effi-
 ciòrum ratio valuit. Non quæsiuimus etiam Regem do-
 mi, & in gremio gentis nationisque nostræ: hic nobis
 optimus & coniunctissimus, qui optimus, & Reipub. no-
 stræ p̄æ cæteris utilissimus esse videbatur. Quod Henrico
 Andium Ducì merito contigit. Quis enim eo est splendore
 familiæ clarior, nobilitate virtutum præstantior, vñu & ex-
 perientia rerum exercitatiōr? Quis maiora ætate sua ma-
 gnarum virtutum edidit specimina? Regnum Galliæ, vi-
 caria potestate Christianissimi Regis Galliarum fratris, fe-
 licissimè administravit: rebelles fortissimè pugnans vicit:
 pacem publicam constabiliuit: disciplinam rei militaris
 restituit. In quo modestia, iustitia, pietas, & omnis chorus
 virtutum sedem & domicilium fixisse perhibetur. Cumq;
 habeamus hos sponsores, & fideiūstiores, atque adeo pigno-
 ra: speramus, diuina fredi benignitate, benè coēpta ad opta-
 tum exitum deducētum; & omnia nostra atque illius con-
 silia actionesque cœlitus gubernatum iri. Nihil iam resta-
 re videtur, nisi ut Deus Opt: saluum & incolumem ad nos
 deducat. Ego certè pro aduentu illius, quemadmodum
 ipse orare non desisto; ita clerus per Diocœsim meam, iu-
 xta formulam à Paternitate Vestra Reuerendissima con-
 scriptam, continuè orat: & confido in Domino, cum fo-
 re Duce in itineris, qui author fuit honoris.

DE RAT: ELIGEN: REG: POLON:

Hæc prolixius, quam institueram, Paternitati Vestræ
 Reverendiss: scripsi: & eidem fortassè molestus fui; quod
 cùm Paternitatem Vestræ Reuerendissimam patriæ ac
 Reipub: cognoverim amantissimam, nota eidem omnia
 consilia nostra esse volui: ut à me haberet veritatem hi-
 storiæ. Ego enim omnibus his interfui: & statim post mor-
 tem Regis ad Reuerendissimum D. Archiepiscopum Pri-
 matem Regni, tanquam ad moderatorem harum actio-
 num acurri, eumque præsens consilio & opera iuvi. Maio-
 remq; in modum Reuerendissimam Pater: Vestræ rogo,
 ut in eo actu posteris transmittendo elaborandum sibi
 omnino putet. Quo nomine nos omnes, tota Polonia,
 & posteritas Reuerendissimæ Paternitati Ve-
 stræ plurimum debere proficebimus. Da-
 tum Wladislauiae 21. Septem-
 bris, 1573.



PANE-

• S) X (S)

P A N E G Y R I C V S

A D

H E N R I C V M V A L E S I V M , P O L O N I A E R E G E M

D E S . *A deo in Cromer Polonia edit.*

Colon de 1689 pag. 694.



I aut res ipsa id desideraret, aut verò per rationes Regni publicas licitum nobis id fuisset, Serenissime Rex: profectò nihil libentiùs hoc tempore fecisset, tum Senatus ipse amplissimus, tum Equester ordo vniuersus, quām, ut frequentes admodum hunc in locum, honoris tui gratulationisque causa, confluenter: & lētitiam, quam ex hoc felici tuo ad se adventu capiunt, præsentes pro se quisque testarentur. Verū quo niam & rei quidem ipsi aliter satisfieri posse videbatur, & præsens status temporum Reipublicæ nostræ, tantum concursum in hoc loco, quantus ex omnium ordinum hominumque conventu faturus erat, non ferebat: idcirco nos vice omniū ablegati sumus, qui his partibus apud te pro omnibus defungemur. Quod sanè, pro eo ac debemus, facimus: teque Regem à nobis prius expetitum, mox electum, nunc verò tandem ad nos felicibus auspicijs adventantem; omnium nomine, summa cum veneratione excipimus, & exceptum optimis omnibus omnibus prosequimur, adventumque hunc tuum verè & ex animo, cùm tibi, tum Reipubl: gratulamur. At quanta quæso alacritate

P A N E G Y R I C V S.

329

tate, quantam maximam capere animi nostri possunt: si
eos, à quibus tibi obviam prodire iussi sumus; profecto,
nulla est tanta dicendi copia, quæ incredibilia illorum er-
ga te studia verbis consequi; nulla tanta ingenij vbertas,
quæ immensam illam lætitiae vim, quam ex omnibus suis
rebus bonis capiunt, satis comprehendere posse videatur.
In quo campum me herculè illum Varsavieniem, qui ele-
ctioni tua dicatus fuit & consecratus, appellam⁹: qui qui-
dem donec præterlabetis Vistulæ fluctibus alluetur, testis
tuam Regiam voluntatis. Appellamus etiam in eo, cùm
vniuersum illum electionis tempus, quod consiliorum a-
ctionumque nostrarum ad tuam gloriam destinatarum
fuit concium; tum verò in primis faustam illam, & in o-
mnem posteritatem Gallici Polonicique nominis memo-
randam diem; qua te, concordibus admodum omnium,
non solum ordinum, sed etiam hominum suffragijs, Re-
gem nostrum denunciavimus: quæ quidem dies, testis est,
eritque in perpetuum, nostræ non modò de tua virtute,
industria, sapientia, felicitate, præclarissimæ opinionis;
verùm etiam, de rebus suis prosperis & ad voluntatem flu-
entibus, singularis gratulationis. Etenim, cùm primum
in ipso electionis nostræ initio, sanctum Dei Spiritum so-
lenni hymno supplices de more venerati essemus: vidiles
confestim; alios præ gaudio, & iam tum erga te studio sin-
gulari, lachrymas fundere, ac pro te Deo Opt: Max: vota
nuncupare; alios hastas suas lilijs suis cendentibus insigni-
re: audisses verò deinde alios, extra suffragia, suis vocibus
tuum nomen assidue ingeminantes: alios autem in me-
dia ferendorum suffragiorum religione, ita domini de-
votos & addictos tuo, vt, nisi tu Rex noster eligereris, a-
etum esse propemodum putarent de Republica ipsa vni-
versa.

P A N E G Y R I C U S.

329

Versa. Quid dicam te Rege electo & denunciato? Mutus
 medius fidius ipsa & inanima, campi, sylvæ, prata, nemora,
 agri, fluvij, ripæ, laudes tuas, permisto tūm hominum ap-
 plausu, tūm avium concentu, tūm equorum hinnitu, per-
 sonare quodammodo videbantur. Atque hæc quidem, e-
 tiam tūm absente te, & Rupellana obsidione ita in Gallia
 occupato, ut in illo strepitu armorum, vix Poloniæ nostræ
 meminisse posses, apud nos sic fiebant: quid nunc censes,
 cùm te, opem, salutem, præsidium, &, ut uno verbo dicam,
 Regem nostrum, saluum & in columem, ad Regnum tibi
 divinitus decretum, & à nobis delatum advenisse, cæteri
 passim omnes audient; nos vero, quos hic publico nomi-
 ne coram adesse vides, etiam præsentes intuemur. Equi-
 dem ut gustum iam nunc aliquem habere possis eius læti-
 tia, qua omnes Regni Ordines, sacri, prophani, summi,
 medijs, infimi, ex adventu isto tuo prospero & salutari per-
 funduntur: recensebo tibi breviter totius electionis nostræ
 rationem. Sic enim te ipsum, & paulò antè divinitus, ad
 inclyti huius Regni gubernacula, summâ nostrâ voluntate
 electum ac vocatum esse intelliges: & nunc adventantem,
 singulari cum studio excipi à nobis, & regno iniciari per-
 spicies & cognosces.

Ac mihi quidem tribus potissimum temporibus eluxisse
 videntur in hac electione singularia, tūm Dei Opt: Max: de
 te iudicia, tūm gentis quoq; ac nationis nostræ erga te stu-
 dia. Nam & denunciationem ipsam electionis, antecesse-
 runt nonnulla eiusmodi, quæ iam tūm nostrorum hominū
 erga te studia non obseverè præseferre videbantur: & dein-
 de, tam in denunciatione ipsa electionis, quam post denun-
 ciationem etiam ipsam, ea consecuta sunt, quæ maximo
 tibi argumento esse debeant ardentissimæ nostræ erga te
 voluntatis. Quæ tu sanè hoc loco, dum breviter cogno-
 scis:

P A N E G Y R I C V S .

seis: debebis profectò, & honorem quidem Domino Deo
debitum tribuere, & nos quoque, ex eiusmodi nostro me-
rito, pro singulari tua humanitate, ad amare.

Nam cùm Respublica nostra tribus maximè hominum ordinibus contineatur; Regiā potestate, quæ imperat; Equestri ordine, qui paret; & Senatorio, inter hos interiecto, qui consultit: profectò, exempto ex rebus humanis Rage Sigismundo Augusto, ita ut nullus tum alias nobis superesset Rex, sive naturâ factus, quod est prorsus à legibus & moribus nostris alienum, sive electione nostrâ designatus: constabat in universum, omnem regendæ & administrandæ Reipublicæ rationem, ad Senatum & ad Patres necessariò rediisse: ut potè quorum actas, dignitas, conditio, alterius illius in Republ: alioqui honestissimi ordinis statem, dignitatem, conditionem, sine dubio antecellat. Cùmque ad eò inter Patres ipsos, magna quædam & præcipua excellētia ac præstantia singulis, Archiepiscopis Gnesnens: ipsis vivo primas partes secundum eum in Regno obtinent, maiorum: hoc quidem in omnes partes tutius, quod, cùm inter Ecclesiasticos homines, quibus persona Regia reeleimoni non potest, censeatur; à suspicione Regni affectati prorsus sint remoti. Inde factum est, ut redacta sanè Republ: Rege mortuo in Senatus potestaté, ut diximus, confessim data sit à nobis opera; ut conventus Senatorū, cùm alibi, tum Lovicij in primis, septimo ferè post Regis obitum die, & deinde aliquanto post Varsaviæ, per nos haberentur. Quibus quidem utrisque in conventibus, cùm Archi-Episcopus ipse non solum interesset; verum etiam, ut oportuit, præcesset, provisum est diligenter, præter cetera, que ad futuri Regis electionem pertinebant; ut modus quoque

P A N E G Y R I C V S.

Quoque & ratio investigaretur, atque etiam de sententia
 omnium præscriberetur, cum Regni finium milite firmam-
 dorum, cum judiciorum denique domi constituendorum
 per tempus interregni. Ut ita duo firmamenta duobus illis
 malis opponerentur, quæ tum temporis Regno ipsi maxi-
 mè impendere, & maximum periculum creare posse vide-
 bantur. Nam & mores profectò ipsi impunitate superio-
 rum temporum corrupti, licentiam magnam in populo
 generaverant, quæ necessariò videbatur esse rigore iudici-
 orum astringenda: & desuetudo præterea rei militaris in
 animis nostris, quos non mediocriter otio illo diurno e-
 languisse, hostes ipsi persuasum habebant, facile, per hanc
 occasionē Regis mortui, incursions eorum in hoc Regnū
 potuit excitare: quæ sane, nisi terrore armorum & præsi-
 diorum nostrorū opposito, rectè reprimi non potuerunt.
 Itaq; duabus his rebus perfecimus, Rex, ut per totum hoc
 interregni tempus, quod fuit, vt scis, plusquam annum,
 regnum ipsum primò integrum, nec quicquam ex eo sta-
 tu, in quo à moriente Rege relictum fuit, per hostes exter-
 nos diminutum; deinde verò nullis novis difficultatibus
 domesticis implicatum, per Dei gratiam, conservaverimus.
 Quæ res si fortè olim non usque adeò ad te pertinuit, cùm
 tu necedum Rex noster creatus essem, nèc inter competitores
 Regni nostri solus numerarere: nunc planè divinitus tota
 cessit in beneficium tuum.: cùm Regnum ipsum per Dei
 gratiā inis incolume, & nullis recens excitatis difficultati-
 bus impeditum. Sed quid postea factum est? Dicam, ut
 iam proprius res ipsas tuas contemplari incipias. Quæ enim
 haec tenus dicta sunt, ea magis ad constituendas interregni
 rationes, ante novi Regis electionem; quam ad electionē
 ipsam videntur pertinuisse. Cæterum constituto iam ex
 s. C. die & loco eiusmodi electionis, constituto autem ad

P A N E G Y R I C V S.

Varsaviam in campo Camionensi, ad diem Aprilis quintam, convencum est magno Senatorum & infinito Equitum numero: qui quidem conventus eiusmodi, omnium iatuerium oculis, delectus cuiuspiam frequentissimi, vel potius centuriatorum Romanorum comitiorum speciem repræsentare videbatur. Vbi exauditis ante omnia, in maximo tabernaculo, quod de industria communibus omnium Palatinatum negotijs militariter positum ac præparatum fuit, exceratis legationibus, quæ sanè nec paucæ numero, nec dignitate mediocres erant: à plerisqueq; enim summis orbis terrarū Principibus, & Monarchis missæ & ablegatæ fuerunt: posteaquam à Nobilitate ad electionem conclamatum, & ab Archiepiscopo Gaesnensi, qui semper habitus est Princeps & os Senatus, decretum ac pronunciatum esset, ut in singulorum Palatinatum tentoria, quæ maximo illo tabernaculo vicina, circum circa fixa fortè ac locata erant, veluti in tribus quasdam & classes discederetur: tum repetitis summatis capitibus singularū legationū externarum in singulis Palatinatibus, propter eos, qui expetendis illis aut adesse ipsi tam frequenti numero, aut verò etiam cùm adessent, exaudire fortè eas non potuerunt: & repetitis quidem per Senatores ipsos, ac eos præterea, quos Nobilitas ipsa ex se, ad exaudiendas & sibi referendas legationes eiusmodi, iam antea designarat, itum est in suffragia. In quibus ferendis (libeter enim ea persequimur, quæ ad demonstrandam singularē istius electionis nostræ causationem videntur pertinere) eā moderatione vñi sumus; neq; quisquam nostrum suffragio excludi, neq; idem exadverso libertate sua abuti videretur. Dixit enim qui voluit, & quod voluit, & quandiu voluit: Senatoribus tamen præeuncibus, & varietatem sententiarum conciliantibus, & Candidatorum numerum ad minimum, quoad eius fieri potuit,

P A N E G Y R I C V S.

Ponuit, redigentibus, & deniq; nomina tum Candidatorū tum suffragatorum in scriptum referentibus, & sigillis præterea cuiusque obsignantibus: sic tamen, vt mutandæ suæ cuique sententiæ potestas ad extremum remaneret. Quid tum postea? O singularem & planè divinam sortem tuā. Referuntur tabellæ suffragiorum scriptæ & obsignatæ, in maximum illud tabernaculum, & in conspectum Senatus vniuersi. Leguntur & recitantur nomina tam Candidatorum, quam suffragatorum. Ecce autem primam honoris cui prærogativam.

Vincis enim, Henrice, iam tum quoque, & superas suffragiorum numero cōpetitores omnes: & vincis quidem sic, vt, si numero soli standum esset, tu reliquos omnes, illo jam ipso tempore, longo post te intervallo relinqueres, & ipse sine mora Rex evaderes. Verū id quoq; ad maiorem laudis & gloriæ tuæ materiam ac segetē, aliquantis per dilatum fuit. Nam cum Deo in primis Optimo & Max: qui cui capitib; cuique honoris singularem curam gerit, deinde nobis etiam ipsis, qui te Regem habituri eramus, parum vim sum esse; te numero solo suffragiorum Regem designari, nisi etiam ponderibus ipsis & momentis suffragiorū à nobis designarere: inita est altera quoq; Regis eligēdi ratio, à moribus planè aliarum cùm veterum tum recentiū bene ordinatarum Rerumpub: minimè aliena; vt nimirū sui cuiq; Candidato, veluti patroni & advocati, ex Senatorib⁹ constituerentur, viri non magis autoritate, quam prudenter & eloquentia insignes, qui causam Candidati cuiusque ita cum omni verborum honore tuerentur., vt acerbitatim quidem verborum in alienum Candidatū parceretur; momenta autem honestatis, virtutatis, & aliarum rerum aerationum omnium, quæ in hominum deliberationibus versari consueverunt, diligentissimè excuterentur. Ut ad eum

P A N E G Y R I C V S.

iam modum, non tam favor cum favore, aut studiū cum
 studio; quām res cum re, causa cum causa, ratio cum ratio-
 ne, argumentum cum argumento, ex propinquō confige-
 re videretur. Severum & grave disceptandi genus: addo-
 etiā fortassis rigidum: sed quō rigidius, hoc & nostris sanè
 rebus conducibilius, & tibi, Rex, qui hoc etiā contentionis
 genere superior, Deo favente, evasisti, honorificentius.
 Quid enim factum est? Principiō, nostratium plerique, viri
 & claritate familiarum præstantes, & meritis in Rēpubl:
 insignes, qui inter competitores, favore nonnullorum ex-
 Equestri ordine, erant nominati, vlt̄ se eo favore abdica-
 runt: vel quōd iam tunc tibi ac dignitati tuæ excellenti, vo-
 lentes concederent: vel quōd omnino videri nollent, suo
 se sive jussu, sive conatu, sive adeò voluntate, inter compe-
 titores Regiæ dignitatis fuisse nominatos. Deinde illorū
 quoque magna pars, qui alijs Candidatis (vti accidere ne-
 cessē fuit, in tam ampla & libera Republ:) studere non ob-
 scurē videbantur, exaudita illa ac persensa confiictione,
 rationum, non inviti de priore sententia sua decesserunt,
 & in te suffragia contulerunt. Ita, cūm cæteri quidem sen-
 tentias suas desererent; tui autem suffragatores in senten-
 tia permanerent: factū est, vt sicut priùs numero; ita tunc
 pondere quoq; suffragiorum, reliquos omnes competito-
 res anteires, & re ipsa Rex iam propemodū fieres. Resta-
 bant enim pauci partium contrariarum: quibus cum odio-
 sa illa ac permolesta causarum confiictione iterum pugna-
 re, cūm ex mutuo amore esse non videretur, neq; suaden-
 do quicquam ampliū proficeretur, gratia & rogando in-
 authoritati Senatus, qui id ab eis assurgens postulavit: de-
 derunt modestiæ suæ: dederunt deniq; communi concor-
 diae; vt in te non inviti quoq; ipsi consentirent. Ita iam
 ex eo

P A N E G Y R I C V S.

335

Ex eo tempore Rex noster electus & designatus es: & Regnum, quod antea, partim dispositis per confinia praesidijs integrum, partim constitutis per Palatinatus judicijs expedictum conservabatur, in incertum tum adhuc quidem, quem regnare velit Hera, quemue ferat sors, id tibi deinde potissimum decretum a nobis, & quasi divinius adiudicatum est, summa cum nostri erga te amoris, summa etiam cum divinæ benevolentia testificatione. Quid enim sive a nobis, sive a Deo etiam ipso immortali, in hac mortali vita tua illustrius ad tuam laude excogitari potuit; quam vnum, ex tot gratiosissimis ac potentissimis competitoribus, tantâ varierate & copia suffragiorum, bis, concorditer, non ab una aliqua Provinciaru, sed ab omnibus Provincijs, nec a Provincijs tantum; verum etiam a singulis propemodum hominibus (quæ res non tantum effectu est admirabilis, sed etiam ratione ipsa) tanti & tam late patentis Regni dominum, ac Regem denique nostrum esse designatum? Quæ cum ita se habeant: eritne adhuc obserero quispiam, qui ea, quæ in hac tam exquisita electionis ratione, tam accurate & tam diligenter gesta sunt, aut ad temeritatem fortunæ referat; aut, quod etiam multò faciat impudentius, vel fraudi alicui occultæ, vel deniq; aperæ ipsi vi tribuenda existimet? Quid habet, quæ so, fortuna commune cum suffragio libero? quid rei est temeritati cum ratione? quid fraudi cum consilio? quid vi cum precebus? Quod si quid etiam esset: agè, referat mihi saitem quisque oculos paulisper ad illas tum nostras inter nos acries admodum & nimium severas in hoc genere inquisitiones. Deus bone, quid prætermisum est ad investigandas, si quæ essent, latebras talium consiliorum? quid in ijs non quæsitum? quid non productum in medium? quid non excussum ab omnibus? quid non ad fastidium usque exami-

P A N E G Y R I C V S.

examinatum & expensum est? & tamen nihil repertum est eiusmodi, quod non modò rem, sed suspicionem salfem aliquam verisimilem venditi cuiquam, aut promissi, aut etiam vi expressi suffragij habere videretur. Atque hæc sunt quidem primi temporis, nostræ erga te observantiae & divinæ denique benevolentiae non obscura argumenta.

Sequitur tempus alterum, in quo singularia nostra erga te studia, & multò etiam magis divina ipsa beneficia eluixerunt. Est autem tempus denunciationis ipsius: quam ego sane breviter sic exponam. Electio & designatio tua, de qua modò loquuti sumus, in diem eam incidit, quæ fuit pridie Pentecostes, diei solenissimæ, & apud Christianos omnes religiosissimæ. Incidit autem in tempus vespertinum. Nihil verabat amplius, quo minus iam ita non modò electus ac designatus: sed etiam omnibus rationibus evictus, & à reliquis omnibus competitoribus solus defensus ac vindicatus, Rex evestigio promulgare & denunciarere: & certè, vt id ita fieret, multa simul non solum desiderare, sed etiam poscere ac contendere videbantur. Quid igitur obstitit, quominus fieret? Num tribuum fortasse favor repente cōmutatus? Minime. Fremebant enim uno ore omnes, & denunciationem tui summa cum contentionē flagitabant. Num igitur adversariorum, competitorum potentia? Nequaquam. Hi enim aut nulliam cum fuerant, aut omnem profectò contentionem abjecerant. Num igitur Archiepiscopi Primatis, cuius ille denunciandi munus fuit proprium atque legitimum, aut alienus, aut alioqui minus promptus animus? Ne id quidem. Is enim non modò ad promulgandum & denunciandum ex officio suo, sed etiam ex singulari studio, ad refutandum, si quis forte moram afferret, paratum se esse ostendebat. Quid igitur? Evidem nihil planè eiusmodi, quod

P A N E G Y R I C V S.

232

Quod iusta aliqua ex causa rem impedire potuisse videretur : illud potius, quod non solum impedire aut morari non debebat ; sed etiam, quod maximè mirum est, tanto magis urgere rem & accelerare debebat ; Solis occasus & serum ipsum diei : cum videlicet homines non solum publica, sed etiam priuata sua ; nec solum iam facta & finita, verum etiam inchoata & imperfecta, ad exitum tanto celeriore student deducere. Sed nimurum ominis nescio, cuius levissimi metus ob oculos versabatur hominibus tui studiosis : ne esset deinde, qui te, ut est his nostris temporibus admodum dicax seculum, ex caligine & tenebris erutum, & obscurum nescio quem, in hanc lucem regni subito protractum Regem esse conuiciari possit. Res igitur dilata est in diem perendinum. Si aut exemplum queras, aut rem ad rationem reuoces, nihil alienius : sin exitum spectes, nihil admirabilius. Quae enim ratio repetiri potest ; cur certam res, & omnibus suis numeris absoluta & perfecta, à calce denuò ad carceres reuocari, & infinitis rursus casibus, ac nouis rerum conuersationibus, fieri debuerit obnoxia, aut vero quam multa tandem, ex omni omnium annalium memoria exempla proferas, differendas, non dico in diem, sed vel in horam saltem eiusmodi promulgationis ? ubi præsertim electio ipsa omnibus in rebus recte atque ordine gesta & administrata fuerit ? Et tamen, quod alias non fere solet euenire; id, cum de tuo honore ageretur, euenit; promulgatio ipsa & renunciatio electionis perfectæ tuæ, ut in diem perendinum differretur. Quid igitur ? Num quis nos casus aduersus interpellavit ? num quæ vel leuissima saltem conuersio remorata est diuinam siue electionem, siue adēd renunciationem tuam ? Minime id quidem. Nam cum deinde, ut post interiecto die, ad comitia intermissa rediissemus : et si alijs quibusdam de rebus controversiæ non

D

deceſ.

P A N E G Y R I C V S.

decessent; de te tamen Rege controversia nulla prorsus extit. O diuinam in rebus mortalium curam, & prouidentiam immutabilem & aeternam. O diuini & singularis fauoris erga te specimen diuinum & admirabile. O insigne testimonium ad perpetuitatem, eos qui Deo fidunt, in mediis etiam rerum motibus & concussionibus, elusum non iri. Itaque sanè nulla interposita mora, Gnesnensis Archiepiscopus iure, & prærogativa sua, Quod tibiq; nobisq; rei^z publica nostra, Gallicoq; & Polono nominis, totiq; adeo orbi Christiano, bonum, faustum, felixq; sit, præfatus cum esset; te Regem nostrum, verbis solenaibus, de more renunciauit. Quem ipsum deinde aliquot diebus interiectis Marschalci Regni sequuti sunt: qui more & consuetudine maiorum, renunciatum per tribus publicarunt. O faustos ac felices dies illi-los. O lætas nostras acclamations. O grauissimas, tum Deo immortali, supplications nostras; cum renunciatio-ne per Archiepiscopum facta, euestigio inde moti, magno concusso ex campo in urbem facto, templum urbis prima-riam certatim adiuissimus, & eidem illi præpotenti Deo, cui olim suffragia inituri sancte ac religiosè supplicaueramus, gratias de te, tuo nomine, supplices atque gaudio la-chrymabundi egissemus. Nunc quoque, Serenissime Rex, apud te hæc mihi memoranti, vis ingens lachrymarum, prorumpere ex oculis videtur, monumentum gaudij læti-tiazq; nostræ, & supplicis ac gratiæ nostræ erga diuinam ma-iestatem voluntatis. Quo quidem in loco, tu quoq; ipse, ma-ximè velleas; ut intimis in præcordijs, conceptam gratia-rum actionem tuam, reddas nobiscum Deo Opt: & immor-tali: qui tibi in hoc quasi secundo actu electionis tuæ, ma-nifestissimis indicijs, præsenté admodum sui numinis vim declarauit: & nostram quoque singularem erga te deuotio-nem nutu suo approbavit, eamque tibi in perpetuum com-men-

P A N E G Y R I C U S.

Mendauit. Omnibus enim lætitijs profecto tū incessimus,
& Henricum Regem iterum iterumq; nominari, dici, cieri,
promulgari iussimus. Iuuabat vsque Henricum, iuuabat
Galliam, iuuabat denique lilia iterari : & Henricum ipsum
quasi oculis, Galliam auribus, lilia deniq; ipsa naribus quo-
dammodo nostris admoueri. Cūm interea temporis acce-
suntur cui Oratores, ad constituendum nobiscum de propo-
sitis olim, nomine tuo, conditionibus. Vt hoc etiam tibi
maximo arguento esse queat, non tam conditiones vllas,
aut vlla promissa tua, tuorumue spectata fuisse à nobis in te
eligendo; quām virtutem modò & industriam ipsam tuam,
quæ suotteræ tuæ, vnicè à nobis in te adamata dotes : il-
lud, inquam, tibi maximo arguento esse debeat, cum au-
dias; prius te & electum, & designatum, & renunciatum à
nobis fuisse Regem; quām de conditionibus ipsis electio-
nis, designationis, renunciationis tuæ, cum tuis Oratoribus
per nos transigeretur.

Restat actus velut tertius & postremus, eorum quæ hanc
istam gloriosam, & ad omnem posteritatem memorandā
renunciationem tuā fuerunt consecuta. In quibus quidem
recessendis, hoc erimus etiam breviores; quod & oratio sa-
nè ipsa ad exitum iam properat : & res ipsæ, quas com-
moraturi eramus, tibi quoque ipsi non multò minus, quām
nobis, notæ sunt & perspectæ. Etenim cūm iam diutiùs
gaudium lætitiamque nostram, quam ex illa non magis tui
quām nostri honoris accessione capiebamus, continere
quasi in animis nostris non possemus, duo euestigio feci-
mus: vnum, quod eius rei nuncium subito ad te, per literas
& celeres admodum tabellarjos, varijs itineribus misimus:
alterum, quod statim post, Oratores quoque ipsos ac Lega-
tos nostros, ex primoribus Senatorij & Equestris ordinis
delectos, invitandi ac postulandi tui causa, publico nomi-
ne,

P A N E G Y R I C V S.

né, cum decreto electioinis factæ, ex Polonia in Gallias v.^{sc}
qué ablegauimus.

Quorum utrumq; quale fuerit, non necesse habeo apud
te dicere. Nam & literæ ipsæ nostræ, quod scimus, in ma-
nus tuas peruererunt: & Oratores quoque nostri tecum hic
reduces comparent: iactati illi quidem, vnâ cum literis,
per varios casus, per tot discrimina rerum, vt ait pôeta: sed
certè, & nostræ quidem erga te singularis obseruantia tan-
ta vis fuit; vt nihilominus in illa variorum casuum discri-
mina, mittendos esse tot & tantos viros, talesque & eius mo-
di literas arbitraremur: & simul hanc nostram erga te ob-
seruantiam, illud diuinæ gratiæ ac benevolentiæ manifestū
indictum est consecutum, vt non solùm literæ ipsæ redditæ
tibi fuerint; sed etiam ipsum XIII. Legatorum nostrorum
collegium, inter tot externas, &c, cùm spatiis ipsis terrarum
à nobis disiunctas, cum verò lingua etiam ac moribus ab-
horrentes nationes, in tantis maris & terrarum interuallis,
vniuersum propemodum vltro citroque saluum atque in-
colume commeare, & legationem conficere, & ad nos de-
inde redire potuerit.

Quæ quidem, Rex, omnia cùm ita sint, debes profecto,
(quod totius dicimus,) tum officia studiaq; hæc nostra, tum
multo etiam magis diuinæ illas gratiæ & benevolentiæ er-
gate significaciones, gratissima vicissima tua benevolentia
prosequi: ita planè, vt & ea, quantum maximè potes, sarta
& testa conserues, quæ sunt Dei immortalis, qui te sua pro-
pemodum cœlitus demissa voce, ex medijs belli periculis
ereptum, & adhunc Regium honorem accersitum, suis e-
tiam manibus, in Regio ipso solio iamiam collocabit: &
rursus, vt quæ nostra sunt, ea nobis, qui singularia Dei ipsius
de honore tuo decreta atque iudicia, votis etiam ac studijs
nostris libentes atque volentes prosecuti sumus, virtute
tua

P A N E G Y R I C V S.

371

tua conficias atque repræsentes. Et cùm vna iustitia duæ ex res, quas dixi, vberrimè contineantur: iustitiam assiduè præ oculis habeas, eaque semper actiones omnes tuas, in tribuendo, tum Deo, quod Dei est; tum nobis, quod nostrū est, moderere. Quid est autem quod Deo debeas? illud c- quidem, vt arbitror; vt, cùm is, vno eodemq; tempore, non magis in Gallia salutis tuæ; quām honoris in Polonia, paternam curam gesserit: nequeminus potenter ibi te à periculis defendecit, quām hic ad dignitatem Regiam proue- xerit: & ames eum tu quidem, vt patrem; & metuas, vt Domum. Quæ vtraq; si ita coniunxeris, vt & priuatim ipse, (quod tamen enixissimè facere te audimus) castè eum & re- ligiosè semper colueris, & publicè honorem ipsius nauiter vbiq; tutatus fueris: tum & ipsi illi abundè, quod suum est, reddideris, ac solium præterea & sedem tuam Regiam mi- rificè firmaueris. Nobis autem, qui secundūm Deum ho- norem tuum honore Regio auximus, quiq; te nobis Regē ac Dominum præfecimus, quidnām est quod potissimum debeas? Evidem id opinor, quod nos præcipue à te expe- stamus. Quid est autem quod tantopere expectemus, nisi forte id, quod dudum etiam in te eligendo securi fuimus? Quid est igitur quod sequuti fuimus? Num, vt Regem ha- beremus, longa serie atauos Reges numerantem? atqui alij etiam æquè clari non defuerunt nobis aliunde. Num, vt eum haberemus; qui accessionem nouæ alicuius ditio- nis Regno nostro adiungeret? atqui possessionum abun- dè nobis est: & earum sanè accessiones per se non faciunt Regnum beatum. Num igitur, vt haberemus, qui cæteros omnes orbis Christiani Reges & Principes, vigore ætatis, formæ Principatu, diuinitarum copijs, & reliquis id genus naturæ atque fortunæ blandimentis anteiret? Multò mi- nus: nec enim ea sunt propriæ regia.

P A N E G Y R I C V S.

Quid igitur potissimum spectavimus? Nihil planè ali-
ud, quam idem illud, cuius ipsius gratia, pro salute incolu-
mitateq; tua, obsecraciones, orationes, postulationes, gra-
tiarum actiones, tum hucusque ad Deum, magna cum ani-
mi nostri summmissione, fudimus; tum deinceps etiam, quo
ad vixeris, semper fundemus: ut videlicet tuis auspicijs,
quietam & tranquillam vitata degamus, in omni pietate &
honestate: quorum altero securitas ab externis hostibus
continetur, ut tranquille scilicet & sine eorum metu viua-
mus: alterò, ut vivamus piè & honestè, securitas contine-
tur à domesticis inimicis. Quæ duo, quò sunt difficiliora;
hoc magis nobis Dux eiusmodi & author opus fuit, de quo
hæc rectè sperari, & à quo etiam certò expectari posse vi-
derentur. Non vereor, ne quis hæc tui aut excitandi, quod
minimè est opus; aut multò etiam minus, quod fieri non
potest, deterrendi causa, à nobis dici existimet. Quis enim
aut deterrere queat pectus tuum generosissimum, & ad o-
mnes labores ac pericula pro Republica excipienda natū?
& ad omnem laudem & gloriam à natura ferè ipsa procre-
atum? Nihil hīc oratoriè agim': id quod rēs est loqui mur:
& quæ tui muneric sunt, ea tibi quam brevissimè ob oculos
ponimus. Quæ ipsa tu præstabis sanè nō difficulter nobis,
vbi voles: hoc faciliùs autē nobis, quam alijs; quod si gen-
ti imperaturus es, quæ Regum ac Principum suorum dicto
audiens, quæq; præscripto rectæ rationis & virtutis ita na-
rrura addicta est; ut huius quidem studio ipso & ardore, fa-
cile in omni officio coactineatur: illorum autem reverētia
& amore, libentiùs & efficaciùs, quam pœnis aut imperio
villo severiore, in omne honestum inducatur. Aderit tibi
ad hæc & suscipienda, & gerenda, & perficienda, aderit, in-
quam, non solùm corporibus, sed etiam multò magis ani-
mis, Senatus ipse, numero frequens, promptus studio, au-
thori-

P A N E G Y R I C U S.

343

thoritate verò ita pollens; ut propter gratiam, nomen Fra-
trum maiorum, propter authoritatem verò nomen Pa-
trum & custodum Reipublicæ, communi omnium appella-
tione meruerit.

Quos tu si in propria ordinis ipsorum autoritate & gra-
tia conseruaueris: habebis profectò, qui conatus omnes
tuos pro Republ: salutares, studio, consilijs, conatibus de-
nique suis prosequentur: vel, quoniam illi in hoc corpore
Reipubl: sub te capite, cordis locum obtinent, vitam pro-
culdubio omnibus tuis in Republic honestis institutis affa-
tim largientur. Aderit etiam non minus libenter, quām di-
ligenter Equester ordo ipse, qui in corpore hoc Reipublicæ
manuum tuarum instar habet: cuius tu quidem ordinis si
vires inspicias, vnicum Regni cui robur atq; firmamentum;
sin splendorem & libertatem, insigne eiusdem decus & or-
namentum iure appellaueris: vtroque autem nomine the-
saurum rectissimè dixeris, ac opes Regni tui incompara-
biles atque inexhaustas. Et alterius sanè ordinis pruden-
tia atque consilio nunquam à recto aberrabis: alterius stu-
dio & obedientia, Idomi eris amabilis', foris admirabilis:
vtrorumque autem virtute & concordia, vbique omnia,
quæ voles, facillimè consequere. Tuné autem, quāso,
adolescens, Regnum Galliæ, fraternū potius quām tuum,
difficillimis temporibus, vnius prope modum tuā virtute,
ita administrare potuisti; ut tumultus ibi maximos com-
pressisse, Regiam maiestatē vindicasse, populos illos æquo
iure continuisse, disciplinam veterem reduxisse, pacem &
otium desideratum Regno restituisse perhibeare: & dubi-
tabis nunc iam factus maturior, ac rebus illis gerendis etiā
exercitacion, in tuo ipsis regno, minimè desperatis, &
cerè non pessimis temporibus, authore Senatu, adiutorie
Equestri ordine, ea te posse in animi Polonorum obse-
-quen

quentissimis, & ad omnem ductum recte rationis admō-
dūm morigeris, imprimere; quorum vestigia admodūm
illustria, in Gallorum, non solum mentib⁹, sed etiā vrbib⁹,
singulare tuā virtute posuisti? Evidēt, quod verè dicendū
est, tum demum Gallicis illis tuis rebus gestis plenam fidem
conciliaveris, cūm illarum similitudinem in hoc quoque
tuo Polonico imperio ad vivum expresseris ac repræsenta-
veris. Tum demum te ratione potius & consilio quam
casu & fortuna, res illas gessisse homines sibi persuadebūt;
cūm eiusdēmodi res tuas gestas hic apud nos intuebuntur.
Tum demum nos fructum electionis tuæ exopratum con-
secutos esse fatebuntur; cūm res nostras, tua virtute, in me-
liorem statum esse adductas non poterunt inficiari. Qua-
m profecto in te, si & officio tuo, Rex, & expectationi c-
ommunium nostrum satisficeris: tum & apud nos quidem
eum tibi amorem conciliabis, ut libenti animo, non solum
fortunas & facultates nostras, iubente te exponere; sed e-
tiā pectora & latera nostra hostibus pro te opponere, &
vitam dēnique ac sanguinem nostrum, pro vita & sangu-
ine tuo profundere; parati futuri simus: & foris præterea
apud vicinas omnes & externas gentes atque nationes,
Rex eris, per Dei gratiam, clarus, honoratus, potens, &
invictus.

Atque nos ea quidem spe freti, uti te antea expetivimus,
deinde elegimus, mox denuncia vimus, cum promulgavi-
mus, dēnique per literas & Oratores ac Legatos nostros, ex
Gallia, ad hoc Regnum invitavimus ac postulavimus: ita
nunc iam præsentem & intra Regni nostri fines constitu-
tum, omni non solum verborum honore, sed etiam ani-
morum cultu & veneratione, iterum atque iterum saluta-
mus; tibi q; hunc primum in hoc Regnum ingressum, be-
ne atque feliciter evenire cupimus: teq; adeo uti magnum
quendā

345

P A N E G Y R I C V S.

quendam Angelum, ad regimen & custodiam populi Dei
cœlitus demissum, excipimus : atque tibi iam nunc, non
solum honorem Regium exhibemus ; sed etiam ipsa Re-
gai insignia Regiae inaugurationis propria, promptissimis
animis despondemus, omniumque ordinum & statuum
studia atque officia : totumque adeo Regnum ipsum, cum
omnibus eius Provincijs, ad te deferimus, & tibi etiam
atque etiam commendamus : utque nos omnes, exemplo
antecessorum tuorum Regum nostrorum, gratia atque
benevolentia tua prosequaris, rogamus.

Itua Rex quo te virtus vocat, i pede fausto.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis : prote-
gat te nomen DEI Jacob. Mittat tibi auxilium de
Sancto, & de Sion tueatur te. Intellectum tibi det, &
instruat te in via qua gradieris : & firmet super te
oculos suos. Teneat manum dexteram
tuam : & deducat te in vo-
luntate sua.



E DE PRI-



DE PRIMAT V SENATORIO Regni Poloniæ.



Isceptatio de primatu Regni , eo consilio , vt ego arbitror , suscipitur : vt sciatur ; utrum vnu sit è numero Senatorum aliquis , legum præscriptis , & auctoritate publica adhoc cōstitut⁹ , vt post mortem Regis , in ordine publici cōsilij , & progressu electionis , non mod⁹ , Equestri ordini , verum etiam cæteris

Senatoribus præeat . Deinde , si eam auctoritatem non pluribus , sed vni , eiq ; Ordinis Senatorij , attributam esse constet , quisnam is è Corona Senarorum habendus sit , cui contestas illa iure conueniat . Res est , vt grauissima ita cognitu maximè necessaria : quod hac eminentia sublata , aut conuulta , Regnum turbari , aut euerti necesse esse videatur . Ea tamen dubitatio , facile fortassis ex animis hominum eximi poterit , si rem ipsam recta via & ratione considerauerimus . Ita sanè iam inde ab inicio constituta est Respub . nostra ; vt vnius Principatu contineatur . Neq ; verd⁹ is haereditarius est ; sed is demum regnū potitur & regnat , quem ipsa sibi Respub . liberrimis Ordinum suffragijs creauerit siue elegerit : eiq ; adiunxit ea Consiliarios , quasi socios , quorum is consilijs in administrando Regno & grauioribus quibusque actionibus nitatur . Penes hos etiam , defuncto Rege , & in interregno , manet summa rerum , curaç ; & pro uidea

DE PRIMATV SENATORIO

Videntia de subrogando alio. Hi Conventui ad eligendū novum Regem, locum diemque præstituunt. Quod Lex diserte præscribit:

Verba Legis.

Decedentibus Regibus & Regno vacante, Domini Consiliarij Status utriusq; capto inuicem mutuo Consilio, secundūm veterem & antiquum morem consuetudinemq; & Statuta Regni, Convenitum ad eligendum nouum Regem indicant, illumq; omnibus membris & Ordinibus Regni tempori denuncient.

Quamvis autem sit Magistratus in Republ: cum potestate; sit Equester Ordo firmamentum eius: tamen Lex, veteri & antiquo mori & consuetudini statutisq; innitens, solis Consiliariis eam potestatem constituendi de eo Conventu, cumq; omnibus aliis membris & ordinibus denunciandi, quod convenire ij debeant, attribuit. Nihil in eo Equestrem ordinem, nihil Magistratus, nihil quenquam atium commune habere voluit cum Senatu. Consiliarijs sive Senatoribus hic honos datus est, sive quodd sint seniores dignitate & eminentia, & iurari; sive quia facilior est congressus pauciorum Senatorum, quam omnium ordinum. Ab ijs verò, nempè Consiliarijs, illum Conventum reliquis omnibus membris & Ordinibus vult indici. Poterat lege certus locus & tempus præfigi eligendo Regi: sed hoc non est visum expedire Reipubl: propter incertos & dubios eventus, ne forte id contingere, quod Scriptura sacra dicit: Vbi sit cadaver, ibi congregare solere aquilas. Premenda igitur hæc potius silentio, & arbitrio Senatus committenda, quam in tabulas referenda, & omnibus evulganda maiores prudentissimè iudicarunt. Quibus autem Senatoribus eam Lex potestatē facit, sine onus id imponit? Num solis Palatinis, aut Castellanis, aut, vt vocant,

348.

DE PRIMATV SENATORIO

Officialibus? Non. Sed aperte; *Vtriusq[ue] status, nempe, Ecclesiastici & Secularis, Consiliarijs.* Simul autem ostendit, quâ ratione & ad quem modū hoc fieri debeat: *Capio, inquit, inuicem mutuo consilij.* Itaque Lex congressum Consiliorum requirit. Quomodo enim aliter inter eos, per maxima locorum intervalla disiunctos, conveniret? Num terni, vel quaterni, vel etiam deni, aut viceni, suo quique arbitratu eum Conventum indicent? Nihil perturbatius, & non modò ad seditionem, verum etiam ad bellum civile accommodatus. Igitur convenire oportet Consiliarios, Vbi autem & quomodo iij conuenient, nisi ab aliquo ad certum aliquem locum diemque convocati aut vltro accurrentes? Aut quomodo expedient rem concorditer, nisi ab uno aliquo in consilium mittantur, & nisi aliquis eis præsideat, consilijs moderetur, & cætera ad rem, pertinētia dirigat? Quid verò? In ipsa Electione qui esset ordo? quæ consensio Consiliatorum? quid non plenum contentionum, iurgiorum, tumultuum, nisi unus non modò Senatu; sed cum eo pariter cæteris Ordinibus & orbæ Reipubl: placidè & clementer moderetur? Mala est, ait sapiens Philosophus, & ante eum præstantissimus Poëta, pluralitas Principum. Quin natura clamat, ordo exposcit, dictat ratio, usus & experientia rerum probat, ad hoc; ut sic ordinata multitudo, & tollantur schismata seu factiones in consilio, necesse esse, ut unus sit, qui omnibus præsit. Qualis enim ea esset Respubl: in qua non sit unus, qui cæteris antecellat? Culicum certè vel pullicum, vel graculorum duntaxat. Tolle ex avibus, ex armentis, ex omni genere animaliū ducem, gressus statim turbatur: & capite præciso, reliqua membra concidunt. Sic ergo unus, ut in Regno Princeps: ita in interregno Primas & moderator cōsilij & Reipublicæ. Verum hoc facilè quisque, cordatus præser-tim, ut

349

REGNI POLONIÆ.

tim, ut existimo, concesserit. Illud magis controversum est; quis è numero Senatorum Primas huiusmodi sit agnoscendus'. Has enim partes alij tribunt Supremo Marschalcō Regni: alij Cancellario Maiori: alij Castellano Cracouien: alij totam eam rationē permittunt arbitrio universorum, ut post obitum Regis, vnum aut alterum elegant, qui sint directores consilij publici. Quarum opinio num hæc postrema, cùm planè absurdâ sit, ne refutanda quidem in præsenti esse nobis videtur. Serum sanè & præ posterum esset hoc præsidium. Trium autem priorū error, ut evidenter agnoscatur, Leges ipsas, quibus illorum Senatorum officia definita sunt, expendamus.

Verba Legis, De Officio Marschalcorum.

Officium Marschalci Regni, & Marschalci Curiae, siue uterque, sine altero eorum esset in Curia, debet esse omnium ceremoniarum, & aula Regia Magister. Aulicos conscribant, stipendia soluant, regesta teneant, diligentes & negligentes sciant, inobedientes à Curia arceant.

Hospites & Consiliarios Regni excipiant. Attendant, ut debitus cuique honor, ex parte Majestatis Regiae, iuxta meritum persona impendatur.

Scandala & excessus aut moderentur, aut eliminent, aut emendent, animaduersione iuxta meritum aut demeritum adhibita.

Ea vero omnia, qua meliore conditione possunt, faciant, id ġ cum consensu & authoritate Majestatis Regiae.

Quoniam vero ea officia sunt indifferentia, Marschalcus Regni, praesens in Curia, sciente Marschalcō Curiae, omnia officio suo incumbentia exequetur.

Recedens à Curia Marschalcus maior, minori Regestra & ad

DE PRIMATV SENATORIO

Administrationem officij tradet. In quo Maior, dum fuerit praesens, summam auctoritatem, ad omnia iam dicta, habebit: Eo verò absente, penes Minorem, eadem sit auctoritas.

Ratione administrationis officij, Marschalco presenti, adscribitur perceptio foralium, & auctoritas imponendi pretij rerum venalium. De foro tamen Campestri foralia Campiductori generale reseruata. Qua tamen foralia moderatè & iuxta locorum consuetudinem, percipiet.

Quod si Marschalcus in precio rerum & foralium modum excedit, habebunt facultatem Consiliarij, in Curia presentes, illud moderandi, sibi quoque præcipiendi. Quibus si Marschalcus parere noluerit, extunc tanquam inobediens, ad communem auctoritatem consilij generalis, proximè futuram, deferatur.

De Cancellariorum officijs.

Cancellarij & Vicecancellarij officia, auctoritate, executione, expeditione, & consuetudine censemur esse copulata & paria.

Episcopatum vel dignitatem nacti, officio cedant.

Literas sibi & iuri contrarias non extradant.

A donationibus & inscriptionibus honorū cuiquam contra Constitutiones Regni dandis abstineant.

Litera iuri contraria intelliguntur; Inhibitiones ad iudicia, absque necessitate Reipubl. Item; Commissiones inter personas, nisi grantierum diuisionis, vel de consensu partium essent. Item; Liberationes ab expeditione bellica.

Ex his Legum verbis planum est, quam circumscripta & certis cancellis coarctata sit Marschalcorum & Cancellariorum potestas: ad quos usus & actus hæc officia sint destinata; & quatenus se extendant. Si ea, quæ ab eis agenda sunt, ponderes, invenies, hæc officia operæ, obsequij, & ministerij plus quam dignitatis habere. Nam quod attinet regi-

REGNI POLONIE.

Regimen aulæ, Marschalci, eodemque modo Cancellarij, absque voluntate Regis nihil faciunt. Ecce potestatem eorum colligatam vides. Cæterum si in aestimando rerum precio Marschalci modum excedant, habent potestatem. Consiliarii præsentes illud moderandi, & ipsis præcipièdi. Marschalcus Regni venienti Senatori in Senatum, obuiam procedit, turbam submouet, deducit, locum monstrat. Et hoc sibi volunt verba Legis: Attendant, ut debitus cuique honor, ex parte Majestatis Regiae, iuxta persona dignitatem, impendatur. Quæro; quis maior est, isne qui imperat, an cui præcipitur? is quiescedet, an is qui ministrat? Diem ei dicunt Senatores ad commune iudicium Senatus. Verba hæc notant, eum esse in auctoritate Senatus: quia lex subiicit eum auctorati consilii generalis, viuente Rege. Post mortem vero Regis dubitamus de eo, an sit in potestate Senatus. Is sicut, qui viuente Rege Senatoribus ministrat, continuo vnuerso Senatu factus superior, eum ad se vocandi potestem habebit? Verba Legis & recta ratio resistit ac repugnat. Ad hæc Marschalcus Regni, communicatum habet officium cum Marschalco Magni Ducatus Lithuaniae, & eum Marschalcis Curiaz. Itaque quod vni conceditur, alijs quoque concedi necesse erit. Habeimus igitur tot publici consilij duces, quot Marschalecos.

Diversa sanè ratio est in Imperio & aliis Regnis, ubi Archimarschalci, Cancellarij, summam dignitatem obtinent. Apud nos non item, sed imam propemodum in Senatu loca, & extremam ferè sententiæ dictiōnem Marschalci & Cancellarij habent, & adepti maiorem dignitatē, cedere officio coguntur. Quæ Lex eo consilio facta esse videtur, quod Regni potentia, cum alias semper, tum maximè interregni tempore, Respublica suspecta est. Itaque omnes hi Marschalci, Cancellarii, Thesaurarius Regni,

DE PRIMATV SENATORIO

Regni, Imperator seu dux exercitus, morte Regis, autoritati Senatus parent. Nihil agunt, nec agere debent, nisi mandato Senatus. Cancellarij certè statim morte Regis sigilla obsignant, & ab officio exercēdo abstinent, Majorcū Secretarius in eorum locum succedit.

Quod de Marschalcis & Cancellarijs Regni & Magni Ducatus Lithuaniae à nobis dictum est, non eo animo dictum esse quisquam arbitretur, ut de dignitate & autoritate eorum quicquā derogatū esse velimus, quorum officium Reipubl: est valdē necessarium; addo etiam dignitatis plenum. In cura enim & administratione Marschalcorum omnis vita Principis securitas, omnis ordo, pax, tranquillitas, tam in aula tempore Comitiorum, quam extra: omnis denique splendor & maiestas Regis, Regni & Senatus posita esse videtur. Cancellarijs item & Vicecancellarijs Respul: creditit sigilla Regni, quibus publicae actiones & libertas firmatur, eisq; credita est dispensatio iuris & æqui. Et judices ij sunt ciuilium causarum, & præsentes esse debent solentq; in aula Regia. Sed licet officia eorum in Republ: sint talia & tanta; non habent tamen potestatem convocandi Senatum. Eorum est, autoritatem Senatus colere, revereri, & dignitati eius inservire; sequi, non praesire. Certè tempore interregni, Marschalci, mandante Senatu, officium suū exercent, in constituenda pace & tranquillitate, tam in loco Comitiorum, quam extra; in æstimo mandato rerum preceio, distribuendisque hospitijs. Eorum quoque est, edicta, mandante Senatu, promulgare. Exstat ea de re exemplum apud historicos, cum Ricuianius & Melsthinius impuberi Vladislao, qui Turcico prælio ad Varnam occubuit, diadema imponi nollent. Ioannes Oleznicius Marschalcus Regni, mandato Senatus edixit; vñ qui Vladislao faverent, in dextram: qui negarent corondū,

REGNI POLONIÆ.

bandū, in levā discederent. Quā promulgatione edicti, sōpita est tota illa controversia. Itaq; tēpore interregni eorum officiū est; post renunciationem electi Regis, in Senatu ab Archiepiscopo Gnesnensi, vt mox ostenderetur, factā, Regem nominatum & renunciatum per edicta promulgare, & ad vniuersorum notitiam deducere & declarare.

Castellanus Cracoviensis, quid juris & potestatis præ alijs Senatoribus in Regno & interregni tēpore habeat, nihil habeo cognitū. Etenim nihil jura & leges ea de re sanxerunt: sine lege autem loqui erubescimus. Ad hæc, non suum is locum obtinet: sed Palatino Cracoviensi olim adempto, ob scelus commissum. Planè Palatinus Cracovien: cum Palatino Posnaniensi, alternis vicibus dicunt sententias. Quod si in Minorī Polonia, primus inter Senatores Castellanus Craeouiensis, Primas censembitur: eodem jure sibi Palatinus Posnaniensis eam ipsam dignitatē in Majori Polonia vendicabie, qui inter Seculares Majores Polonos primū tenet locum. At neuter istorum dici potest primus, cùm uterque illorum habeat priores se omnes Episcopos in uno, eodem quē Senatu.

Cūm igitur Primatis honor, neque Marschalco, neque Cancellario neque Cracouiensi Castellano conuenire possit: quinetiam opiniones illæ, contra Legem inuestigare, sine exemplo, contra morem maiorum, contra ius & æquum, Reipublicæ verò inutiles ac periculosa sint: reliquum est, ut illorum sententiam probemus, qui eam dignitatē & excellentiam Archiepiscopo Gnesnensi jure ac legitimè deberi asserunt. Cuinam enim talis ac tanta dignitas & auctoritas potius convenit, quām ei, qui in amplissimo Senatu loco & ordine eminet? Arque is est Archiepiscopus Gnesnensis, qui Princeps Senatus habetur: neque Principibus ac Ducibus feudatarijs, vt vocant, Regni; ac ne fratribus

554

DE PRIMAT V SENATORIO

eribus quidem & filijs Regis honore & prærogatiua loci cedit. Tanta autē dignatione est antiquitū, vt ei soli omniū, dum incedit aut vehitur in publico, etiam Rege p̄sente, sceptrum seu virga præferatur; aduenienti verò, Rex aſurgat. Porro, abſente Rege, eius auctoritate cogitur Senatus, & ab eo Senatus consulta promulgantur. Hic ipſe Regem ritu ſolenni inaugurat, ſiue inungit & coronat: Et ſi quid publicè Senatus & aliorum ordinum nomine de rebus maioris momenti cum Rege agendum eſt, per cum agetur. Penes eum eſt præſidium aduersus Regum impotentiū dominatum, ſi quid in præiudicium iuris & libertatis, publicæ attentent. De Iacobo quidem Archiepiscopo Znojno orto memoratur; quod, cùm Vladislaus Princeps, Boleslai Crispī filius ante annos 440. iniurius eſſet fratribus suis, bellumque ciuile aduersus eos moueret, in caſtra eius curru uestus venerit, cumque (quamuis plebeius homo) liberrimè de Tyrannico & impio expto monuerit, contemnentemque vñā cum exercitu diris deuouerit. Nec moraſtentiam eius vicio diuinitū ſecuta eſt. Proſfigatus eſt enim Vladislaus cum exercitu ſuo à paucis obſellis. Recens eſt memoria, cùm Rex nuper defunctus Sigismundus Augustus, certum cōtractum de ſale vendendo in detrimentum Nobilitatis feciſſet, maiores Poloni eam rem ad Archiepiscopum detulerunt, vtque conuentum indiceret postulaſſunt. Rex ab Archiepiscopo monitus, deſtitit ab incepto. Ita in Archiepiscopo Gnesnensi validum, & certum eſt geniti noſtræ, contra Regum impotentiam & iniurias præſidium. Et verò habet is ampliſſimas poſſeſſiones in medio muſeribus ſuis queat. Rectiſſimè igitur penes eum, ea, de qua nunc agimus, prærogatiua Primatus eſt, & eſſe debet, ut interregni tempore ad eum cæteri Coſſiliarij confluant, com-

REGNI POLONIÆ.

383

communicatoque consilio de eorum sententia locis tem-
pusq; eligeat R̄egis, cæteris membris & Ordinibus Re-
gni, denuncietur. Nec id modò: sed subitatijs etiam Rei-
publ. periculis obviam eatur: securitati & necessitatibus
moram non ferentibus prospiciatur: legationes etiam ex-
ternorum Principum ad eum adeant. Denique electum
communibus suffragijs Regem: is renunciat, & exacto ab
coiuramento legitimo, ritu solenni, ut dudum memoriaui,
coronat. Tanta quidem dignatione prædicto inferiores
Omnes non inuiti honorem habent & obsecundant. Non
vetentes, ne is, ut potè sacris initiatus, ad summum apicem
aspiret. At enim spiritualis est, ut vocant, Primatus digni-
tas; neq; ad Regnum & Rem publicam nostram pertinet.
Fertur enim Archiepiscopus Nicolaus cognomento Tra-
bā, cùm esset publicè allegatus ad Constantiense Cōcilium,
eam Primatus prærogatiuam sibi & suis successoribus Gne-
snensibus Archiepiscopis in eo & ipso Concilio impetrasse.
Est quidē ita; quod is Primatum ex eo Concilio reportauit.
Verū scire operæ premium est, esse etiam inde fermè ab
initio Christianæ religionis dignitatem Ecclesiasticam su-
periorem Archiepiscopali & Metropolitana, inforiorem
autem Patriarchali. Qua qui prædicti sunt, Primate à La-
tinis vocantur. Eam igitur Func à Trabā impetratam esse
credibile est, quod eximiam haberet in Polonia & Lituania
dignitatem, & in ipsum etiam Leopoliensem Archiepisco-
pum, & Suffraganeos eius Episcopos potestatem & iurisdi-
ctionem. Quod si forte ad eum quoque Primatum, de quo
nunc agimus, Diploma illud pertinet: non tam dat id no-
vam prærogatiuam Archiepiscopo Gnesnensi; quam anti-
quam & inueteratam relinquit & stabilit. Quam Rex Vla-
disslaus Jagiello dudum per Leopoliens. Archiepiscopum
labefactare adortus erat, cùm ab eo Reginam Elizabetham

DE PRIMATV SENATORIO

tectiam vxorem suam , præter morem assensum Senatus amplissimi , coronari curasset . Summa enim tunc erat , estq; adeò etiam nū , apud recte sentientes de religione , Pontificis Max: & generalis Concilij auctoritas . Quæ nec apud diversum sententes & cōtumaces filios obstat debet Gnesensi Archiepiscopo , quomin⁹ antiquiori iure suo utatur .

At nihil de eo legib⁹ nostris cayetur . Demus hoc . Num autem omnibus de rebus ad Rempub: pertinentibus cautū est ? Nullanē instituta à maioribus nostris , quasi per manus nobis tradita , scriptarum legum vim habent ? Serò maiores nostri , nempé ante sexcentos demū annos , literas cū religione Christiana acceperunt . Leges autem scriptæ ante Casimirum magnum Regem , hoc est , ante 250. annos . nullæ apud nos extant . Inde perpaucæ extant , & simplicissimæ , iudiciales ferè : aut si quid vñquam præterea in controversiam venit Rempub: administrantibus . Quales sunt superius memoratæ de officijs Marschalcorum , Cancellariorum , & aliæ eiusdem modi tum demū conditæ , cùm Magistratus plus sibi sumere incipiebant , quām par erat , aut alienas functiones usurpabant .

De eximia illa dignitate & munere seu Primatu Archiepiscopi , quia nulla vlo vñquam tempore fuit cōtroversia , nulla de eo lex lata est . Cùm Repub: simul (christiana duntaxat) & è visceribus eius natus , perpetuò ius suum , in interregnis præsertim , obtinuit : nec eum quisquam vlo vñquam tempore ante nos aliquot annos convellere , vel debilitare tentavit , licet essent nonnunquā Archiepiscopi nō usquequaq; Senatui , vel populo , vel Ordinibus Regni grati . Intelligebant nimirum homines literarum quidem acq; doctrina rudes ; sed naturali ingenio præpollentes , & vslu rerum prudentes , amantesq; Patriæ non personæ , verū loci ac dignitatis amplissimæ prærogatiuā illam esse . Atque a-

que adeò non tam loco ac persona Archiepiscopi, quam
in signi Regni parti, hoc est, maiori Poloniae, iustè ab uni-
versa Republ: siue indultam siue relictam esse. Cum enim
quodam tempore insignia Regni vna cum Regis domici-
lio & coronatione è Maiore Polonia in Minorem translata
essent, optimo iure Majores Poloni ius & prærogatiua il-
lam eximiam primori suo totiusq; Poloniae Senatori ven-
dicarunt & retinuerunt. Verum id, ut multa alia, literis
mandatum non est. Fortassis autem etiam authenticis lite-
rarum monumentis demonstrari potest; Archiepiscopos
Gnesnenses ea prærogatiua usos esse, non illis quidem ve-
tustioribus, sed ante nonaginta tamen annos cōscriptis &
editis. Excat Decretum electionis Alexandri Regis, præsi-
dente fratre eius Friderico Cardinale & Archiepiscopo Gne-
snensi conscriptum: in quo apparet, non modò eximia illa
Archiepiscopi dignitas & authoritas; verùmetiā Primatis
nomen. Quæ cum nemine repugnante, consentientibus
autem omnibus Consiliarijs Regni & Nobilitate, ab Archi-
Episcopo tunc usurpata sint: constat, non recens ea tunc
in Rempubl: irreplisse aut invasisse: sed inueterata è mori-
bus majorum repetita & retenta esse. Non fuerit autem ab
instituto nostro alienum decretum id ad verbum inserere.
Sic igitur id habet.

Decretum electionis Alexan- dri REGIS.

FRIDERICVS miseratione Diuinâ Sacrofancâ Romanae
Ecclesiae tituli S. Lucia inseptem solijs Presbiter Cardinalis,
Archiepiscopus Gnesnensis, Regni Poloniae Primas, & Episcopus Cra-
coniensis, Andreas Rozza Archiepiscopus Leopolensis, & Episcopus
Przemisliensis, Creslaus Vladiſlauiensis, & Cancellarius Regni,

DE RPIMATV SENATORIO

Ioannes Posnaniensis, Lucas Varmiensis, Albertus Vilnensis, Vin-
 centius Plocensis, & Matthias Chelmensis Ecclesiarum Episcopiv-
 Spitek de Jaroslaw Castellanus Cracouiensis, Andreas de Schamo-
 tuly Posnaniensis, Petrus Kmita de Vifnice Cracouiensis & Mar-
 schalcus Regni, Ioannes de Tarnow Sandomiriensis, Nicolaus Gar-
 dzin de Lubrane Califfiensis, Dux Alexander Castellanus Vilnen-
 sis, Ioannes de Zabrzeze Trocensis, Nicolaus de Baizen Mariebur-
 gensis, Petrus Myszkowski Lancicensis, Nicolaus de Kościelec Bre-
 stensis, Nicolaus de Kretkow Juniwladislauiensis, Ioannes de Tar-
 now Russiae, Nicolaus de Kurozwiaki Lublinensis, Stanislaus Km-
 ta de Vifnice Belzenis, Minegneuius de Kriko Plocensis, Andeas
 de Kutno Rauensis, Palatini, Dobrogostius de Ostrorog Posnaniens-
 sis, Iarandus de Brudzens Califfensis, Ioannes de Przerab Sira-
 diensis, Andreas de Laxin Lanciciensis, Andreas de Teczyn Woini-
 censis, Ioannes de Slupca Sandecensis, Petrus Száfraniec de Pie-
 skowa skálā Vifliciensis, & Capitaneus Marieburgiensis, Stan-
 islaus de Potulice Miedzyrzecensis, Hieronymus de Kobylino Ro-
 speriensis, Zanisius de Konradziec Plocensis, Ioannes Polak de
 Karnkow Landensis, Raphael de Jaroslaw Premisliensis, Ioannes
 de Sienna Malogostensis, Castellini, Matthias de Drzewica Prä-
 postus Scarbimiriensis, & Scholasticus Cracouensis, Vicecancel-
 larius Regni Polonie, Andreas de Kościelec Marschalcus Curia Re-
 galis, & Petrus de Szydlowiec Succamerarius Cracouensis, ca-
 teriq; Pralati, Barones, milites, & Nobiles Regni, uniuersum Re-
 gnum Polonia & Magnum Ducatum Lithuaniae representantes.
 IN nomine Sancte individua Trinitatis. Ad uniuersorum, quo-
 rum interest, intererit q; ad futurum, notitiam deducimus. Quid
 anno praesenti feria quinta in Octava festi sacratissimi Corporis Christi
 in Ciuitate Torunensi terrarum Prussia, Serenissimo olim Prin-
 cipe Ioanne Alberto, Dei gratia, Rege Polonia, Supremo Duce
 Lithuaniae, Russia, Prussiaq; Domino & herede &c. gratiosissimo,
 per mortem, cui omne vita subiaceat imperium, de medio sublato,
 eiusq;

REGNI POLONIAE.

559

eiusq; olim funere Regio Cracouia feria secunda post festum S. Iacobi Apostoli in Basilica Divi Polonorum Patroni Presulū Stanislai in Castro Cracoviensi sita, honorificentissimè sepulto, ceremonijs ad hoc dignissimis funeralibusq; prout tanta & expediebat Maiestati, non minus reverenter, quam etiam deuotè & lugubriter exhibitis. Tandem immediatè sepultura peracta, fuit per nos vniuersos, qui Cracouia iusta funeri soluimus, electioni futurae Maiestatis Regiae dies & locus huc Petricouiam ad presentem Conuentionem generalem decretus, deputatus & assignatus, decreto communī mediante presentium Dominorum Prelatorum, & Baronum Regni sepultura Regia interessentium absentiumq; accidente consensu. Fuerēt vniuersi Principes ac Prelati spirituales ac seculares, Barones, nobiles, milites, & communitates Terrarum & Ciuitatum de iure ac consuetudine ad electionem Regiam pertinentium, editis proclamationum publicis, ac literis & nuntijs eam ipsam electionem prefixam intimantibus, denunciantibusq; vocati & avisati, ut nobiscum una pro eligendo futuro Rege ac Domino aut convenirent, aut Nuncios cum mandatis dirigerent, ad presentem electionem conuentionemq; Petricouensem, pro diebus deputatis, in Presentem usq; diem per continuationem sequentibus: ubi dum cum vniuersis dominis Principibus & Prelatis spiritualibus & secularibus, militibus, Nobilibus, communitatibusq; Terrarum & Ciuitatum comparentibus & presentibus, absentiumq; Nuncijs, iniремus consilia, tractatus & deliberationes pro eligendo Serenissimo Domino Rege futuro, proq; alijs necessitatibus euidentibusq; Publicis in melius ordinandis. Tandem nobis Friderico, miseratione diuina Cardinali, veluti Archiepiscopo Gnesnensi, & Regni Primate, consilijs ordinem & electionis progressum proponentibus, vocatorum non comparentium absentia non obstante, per nos & vniuersos Prelatos spirituales & seculares Barones & Consiliarios, nostro & absentium nomine, ad electionis decretum, in Dei nomine, processum erat, die & loco infrascriptis. Qua Missa de Spiritu S. canta-

300
DE PRIMATV SENATORIO

Santata & audita, ac ceremonijs, consilijs, tractatibus, deliberationibus, conclusionibus de more atq; iure premis: nos qui super Prælati & Barones uniuersi, ad quod istud de iure ac consuetudine Regni eiusdem pertinet, unacum Nuncijs & Oratoribus præclaris Principis D. Conradi Ducis Masouie, ac Magnificorum D. Ioannis Stephan Woievode Moldaviae, aliorumq; Principum, Praetatorum & Baronum Regni absentium, cum literis & sufficientibus mandatis ad electionem praesentem missis, nomine suorum principalius comparentibus & electioni interessentibus, decretum electionis diximus, pronunciavimus, & promulgauimus, dicimusq; pronunciavimus sic: Quia non ex affectione carnali, personali, sed inspirante Spiritus almi gratia, votis, voluntatibus, affectionibus, desiderijs unanimibus, nemineque ex nobis (operante Spiritus eiusdem gratia) à votis & voluntatibus unanimibus discrepante, Sereniss. Principem D. Alexandrum, Dei Gratia, Ducem Lithuaniae, Samogitia, Russia, Kijouie, dominum & heredem, &c. dominum nostrum gratosissimum, sicut ius liberae electionis nobis competit, & competere iure consuevit, decreuimus eligendam in Regem Poloniae, olim Serenissimi D. Ioannis Alberti nuper vita defuncti Regis Poloniae, immediatum, verum, indubitatum, & legitimum successorem, dominum nostrum gratosissimum, decernimusq; & eligimus praesentibus: & hoc in quantum sua Serenitas ordinacionem inter Regnum Poloniae, &c. Magnum Ducatum Lithuaniae per nos Fridericu & Pralatos ac Barones Regni Poloniae superscriptos, cum Reuerendissimo in Christo Patre ac Magnificis & Generosis dominis prefatis Oratoribus & Nuncijs Serenitatis sue, vigore mandatorum Serenitatis eiusdem, ac uniuersorum Pralatorum, Baronum, Procerum, Boiarorum, Nobilium, & Communiatum Magni Ducatus Lithuaniae ratam, factam, approbatam, literisq; eorum, sigillis, ac iuramentis, in omnibus punctis, conditionibus, clausulis, & articulis approbabit, confirmabit, & ratificabit perpetuo obseruandam. Quam electionem praesensq; decretum nostrum

REGNI POLONIAE.

nostrum cum uniuersis Nobilibus ac Terrarum & Ciuitatum Com-
 munitatibus, nostro & eorum atq[ue] absentium nomine, approban-
 dam, tenendam, laudandam, confirmandam, & emologandam
 duximus: approbamusq[ue], tenemus, confirmamus, laudamus.
 & emologamus tenore presentium mediante. Itaq[ue] decretum hu-
 i simodi in virtute altissimi exequi cupientes, de certa scientia
 communig[ue] consilio, a omnibus modo, iure, & stylo, certos domi-
 nos Prelatos & Barones Regni Poloniae fratres nostros in literis
 Credentiarum ad eundem Serenissimum D. nostrum, Dominum
 Electum per nos datarum nominatos ad infra scripta gestores, acto-
 res, & Nuncios deputauimus & deputamus. Dantes eis man-
 datum generale & facultatem plenariam, praesens decretum no-
 strum eidem felicissime Electo ac Domino D. Alexandro, Dei gra-
 tia, Magno Duci Lithuaniae, &c. Domino nostro gratiissimo, in-
 timandi, eiusq[ue] Dominationem excellentissimam, utrum in electio-
 nem de se factam consentiret, aut eam acceptaret, ratamq[ue] habe-
 ret, requirentes. Alioq[ue] omnia & singula cum eius Dominatione
 Illustrissima uniuersisq[ue] Pralatis, Baronibus, militibus, & Com-
 munitatibus Magni Ducatus Lithuaniae agendi, faciendi, tractan-
 di, consulendi, concludendi, & firmandi, ac de rato & grato nostro
 & Regni totius nomine promittendi, & ea quae mandatum exige-
 rent magis speciale quam presentibus est expressum. In quorum
 omnium testimonium premissorum sigilla nostra ac aliorum Praла-
 torum, Procerum, & Nobilium Regni Poloniae presentibus sunt
 appensa. Actum & datum Petricouie in Conuentione generali,
 die Dominico in profecto sancti Francisci, Anno Domini, Millesimo
 Quingentesimo primo. Presentibus ibidem ac ad pramissa con-
 sentientibus, rata habentibus, & ea emologantibus suo & alio-
 rum presentium & absentium Regnicolarum nominibus Venera-
 bilib. Generosi, & Nobilibus Dominis, Nicolao Kricki Decano &
 Preposito Posnaniensis, Ioanne Konarski Cracoviensi, & S. Michae-
 lis Preposito, Ioanne de Lasko Cancellario Gnesnensi, Decano Vla-
 dislau-

302.
DE PRIMATV SENATORIO

dislauiensi, & Cancellario Posnaniensi, Nicolao de Bartnikie Cusio,
de Plocensi, & Preposito Calisssiensi Ecclesiarum, Stanislao La-
sacki de Brzeziny Succamerario Posnaniensi, Nicolas Cikowski Gla-
difer Cracoviensi, Martino de Skotnik Iudice Sandomiriensi, Ia-
roslaus de Lasko Tribuno Siradiensi, Stanislao de Kurozwieki Vice-
lunensi, Ioanne Zaremba de Kalinow a Siradiensi, Ioanne & Stani-
slao de Sprowa Opocznensi Capitanei, alijsq; compluribus Prae-
tis, militibus, Nobilibus, Terrigenis, & indigenis Regni Poloniae.

An non agnouit autem etiam in eo Senatus, authorita-
tem Primatus; cum defuncto eo ipso Ioanne Alberto Rege
Torunie, intra septimum diem, triginta Senatores e Ma-
iore Polonia, ab eo ipso Friderico Cardinali & Archiepi-
scopo evocati, Louicum convenerunt, & consilia inter se
habuerunt? Conveniebant etiam Minores Poloni: sed ex
itinere domos reversi sunt, cum Archiepiscopū Lovicio di-
fessisse cognovissent. Nec est existimandum; quod iij, Se-
natores inquam, ad Fridericum, non quasi ad Archiepisco-
pum & Primatem; sed quasi ad Cardinalem & filium Re-
gis convenienterent. Cur enim ad Regis filium convenienter,
libertate electionis vti volentes? Cur autem ad Cardina-
lem, Cardinalitiam dignitatem non modò ab electionis
negotio; verum etiam à tota Republica, ut infra patebit, a-
lienam esse contendentes?

Habemus igitur, si non Legibus, decretis certè (qua
Legum vim & pondus oblinient) & actis superiorum tem-
porum expressas prærogatiwas & officia præcipua Archie-
scopi Gnesen: vti Primatis Regni, sine vlla controuer-
sia antiquitū, non ambitiosè usurpata; sed assentientib⁹ o-
mnibus Ordinib⁹ iure optimo visitata. Habemus etiā ipsum
Primatum, is ipse Archiepiscopus, vna cū ceteris eius præ-
rogatiwas & officijs, deinceps quoque retineat? Nimisrum,
vt is

Ut is non modò conuocet Senatum; verùm etiam præsit &
moderetur cōsilio publico: propónat quibus de rebus con-
sultandum, & quomodo suffragia ineunda sint; eaq; si di-
versa sint, conciliet: legationibus externis locum faciat, aē
de Sedatus sententia respondeat: & si quid est præterea,
quod in interregno cum auctoritate peragendū sit. Con-
iuncta enim hæc sunt, neque recte à se invicē disiungi pos-
sunt. Coronandi autē Regis, & exigendi ab eo iuslurandi
legitimi ius, dubium non est eidem Archiepiscopo com-
petere: non modò eodem iure; verùm etiā primū Principem Regni ap-
pellat. Privilegijs verò illius cōfirmandi & illuſtrandi causa
illa fuisse videtur; quod superiore tempore, cùm siue vaca-
ret tunc Archiepiscopat⁹ sedes, siue Archiepiscopus ipsaq;
Gnesna, vbi insignia Regni tunc adhuc aſervabantur, in
Henrici Ducis Silesiæ (qui Maiorem Poloniā à cætera a-
vulsa tunc obtinebat) ditione effet, pater Cazimiri Vla-
dislaus Loctius Rex eleitus coronatus non fuit. Aliquād
enim pōst, Henrico Duce mortuo, coronatus est, vt habent
Cromeri nostri Varmiensis Episcopi annales⁹. Ne igitur
Archiepiscopus in posterū iure suo eecidisse iudicaretur,
præsertim translati Cracoviā insignibus Regni, Cazimiri
diplomate cautum est. Idem etiam Cazimirus graui poe-
na sanxit; si quis præsente eo ipso Archiepiscopo, gladium
strinxerit in aīum, siue vulneraverit, siue non. Ex his igitur
luce meridiana clarus fit; jus Primat⁹ Regni penes Ar-
chiepiscopum Gnesnensem esse antiquissimum in Polonia.

His illa quoq; ad stipulantur; quod regnante Sigismun-
do seniore, & abiente à Regno, in Lithuania verò degen-
te, Petrus Gamratus Archiepiscopus Petricouïæ Comitiis⁹
Regni cum potestate præfuit, & Senatus consulta Constitu-
tionesq; Comitiales promulgavit. Præfecte etiam co-

DE PRIMATV SENATORIO

dem Rege, sed ægrotante, postea ibidē, in Aula Archiepi-
scopali, eo ipso Gamrato præsidente, sæpenumerò Senatus
habitus est. Post eum quoq; Sigismundo Augusto regnan-
te, ad eundem modum apud Nicolaum Dzierzgouū Ar-
chiepiscopum non semel publicè consultatum est. Vivunt
adhus non pauci, qui utrumque compertum habent, & in-
terfuerunt. Ad rem facit & illud; quod cùm eximia sit in
Ecclesia Catholica Cardinalium S.Rom. Ecclesiæ dignitas,
& habeantur iij in Republ: Christiana Archiepiscopis, Me-
tropolitanis, Primatibus Ecclesiasticis (quorum mentio fa-
cta est antea) & Patriarchis superiores; non cedit eis tamē
Archiepiscopus Gnesnensis, velut Primas Regni. Quod qui
dem evidenter patuit quodam tempore, nempè regnante
Cazimiro tertio. Nam cùm Sbigneus Olesnickius Episco-
pus Cracoviensis, vir cùm de Ecclesia, cum de Republica-
nostra benè meritus, à Pontifice Max: Cardinalis creatus
esset, prærogatiuaq; eius dignitatis in Senatu vti, & Vladis-
laum Gnesensem Archiepiscopum anteire vellet, obsti-
tit Archiepiscopus vti Primas Regni; nec solus, sed cùm
Proceribus & Senatoribus Maioris Poloniæ. Et, cùm Rex,
cum cæteris Senatoribus pertinaciū Sbigneum cueretur,
omnes cum Archiepiscopo Senatu excesserunt. Contro-
versia tandem, discessu Cardinalis è Comitijs, sopia est. Ut
autem placidè peragerentur Comitia, Archiepiscopus quo
que in gratiam Reginis & Senatus discessit. Sed expédamus
diligentiū causas tantarum discordiarum. Nunquid ho-
nor amplissimus Cardinalatus offendebat Maiores Polo-
nos? Minimè. Erant enim tunc omnes Sedj Apostolicæ
addictissimi, & cultores fidei Catholicæ studiosissimi. Nul-
la tunc hæresis, nullū schisma vexabat Regnū: nullæ offen-
siones Seculariū aduersus Spirituales intercedebant: imò
Sbigne.

Sbigneus Episcopus, propter summam gravitatem, prudenteriam, magnanimitatem, & indicenda sententia, tenuis que iuribus publicis libertatem, & autoritate in Senatu & gratia populari maximè pollebat. Nemo erat, qui & Reipubl: eum honorem, & patræ communi, ornamentum invideret. Quid igitur spectabatur? Hoc nimis; ne Regnum in euentum mortis Regis absque ordine esset, & absque uno, qui cæteris omnibus præiret. Nemo enim obtinperasset Sbignaeo, vti Cardinali; sed ut Episcopo Cracoviensi. Itaque Episcopum Cracoviensem, Archiepiscopo Gnesnensi præferri, & Primum Maioris Poloniæ in Minorum Poloniam transferri nolebant. Hinc est, quod hisce, quæ memoravimus, ornamenti, nudari se Maiores Poloni indigne ferebant, cum iam anteà Minores Poloni præmæritatem & præcedentiam occupassent. Hæc sunt verba Dlugossi temporis illius historici. E quibus aperte colligitur; ortam fuisse controversiā, non tam inter duas personas, quam inter Consiliarios Terrarum Maioris Minorisque Poloniæ; non de excellentia Cardinalatus, aut Metropolitanæ sedis honore; sed utrum in Ordini Consilii publici præire deberet Episcopus Cracoviensis, vti Cardinalis, Archiepiscopo Gnesnensi; an vero Archiepiscopus Gnesnensis, vti Primas Regni, Cardinali, vti Episcopo Cracoviensi. Decretumque Regis & Senatus in Conuentu ea de re intercessit; ut deinceps nemo Cardinalatus honorem sibi conferendum procuret, inconsulto Rege & Senatu, ne id in præjudicium excellentiæ, Archiepiscopi & Terrarum Maioris Poloniæ derogationem factum esse videatur. Ac iure quidem videtur esse latum. Licet enim insignia Regni Gnesna Cracoviam, contendentibus & instantibus Principibus, sint translata: manet tamen privilegium loci & terrarum Maioris Poloniæ. Quæ quidem constitutio

REGNI POLONIAE.

seu decretum in Conuentu latum, si quis recte expendat, stabilit, & firmat Primitum Regni: ita, ut si nihil aliud sit, ad comprobandum Primum, satis illud superque futurum. Atque hoc equidem diuina quadam prouidentia sum esse reor; ut in Minoris Polonia Coronæ locus, & Coronacionis: in Maiore vero Coronatoris & moderatoris consiliorum, ac ipsius electionis Regis, tempore interregni esset: ut scilicet communicatis hoc modo prærogatiis, alter alteri libertatem electionis Regis praepere non posset.

Nec sane in sola Polonia nostra, hoc est Archiepiscopi Gnesnensis Primatus Privilegium. Habet etiam Hungaria suum Primatem Archiepiscopum Strigonensem. Habuit non ita pridem, nec scio an etiam nunc habet Anglia (licet peruersa cum religione, & in Tyrannidem conuerterea, omni ferè ratione iusti Regni) Cantuariensem. Habent fortassis & alia Christiana Regna. Quod autem is ipse hunc Gnesnensis Archiepiscopi apud nos nunc in controvuersiam à quibusdam voeatur, in causa est Religionis mutationis, seu potius corruptela. Quæ postquam in Regnum hoc aliunde irrepit, & hunc & omnium Spiritualium (ut vulgato verbo utar) honorem, dignitatem, opes, & auctoritatem funditus euertere conatur, quo maiore licentia in strage animarum innoxiarum plebis debacchetur, & in priuinan barbariem & impietatem degeneret. Lupi qui dem cum Pastoribus (ut est in fabulis) foedus iniire voluisse memorantur, ea lege, si sibi canes custodes gregis dederentur. Sed viderint sapientes isti custodes Reipub. quam bene consulant ornamentis, commodis, & libertati publicæ: cum sit Equestri & Senatorio Ordini honorificus, & perutilis hic, de quo agimus, Primatus, ut vniuersæ Reipub. salutaris ac penè necessarius. Praeclarum sane is est docu-

R I M A T V S E N A T O R I O

documentum summæ libertatis ac æquabilitatis juris no-
 gentis; quod ea in Regno [cuius eximia quædam in
 nes potestas esse solet] habet vnum de medio nostrum,
 rem nostrum, os ex ossibus nostris, carnem de carne
 stra, in tanta dignitate constitutum; ut Regem non-
 multis passibus sequatur, & ab eo reverenter colatur, li-
 bertatemque sceptri sui à Primate restringi non molestè
 ferat, quemadmodum ostensum est superius. Qua de cau-
 sa olim Lacedæmonij, populorum Græciæ sapientissimi
 & bellicosissimi libertatisque studiosissimi, Ephororum
 Magistratum in in R.P. sua instituerunt, qui actiones Regis
 obseruaret, ijsque moderaretur. Porro in interregno ma-
 ior est etiam Primatis usus, maius decus in Republica.
 Erumpentur sanè nonnunquam in perniciose factiones,
 dissidia, seditiones, & bella ciuilia, nisi unius Primatis au-
 thoritate cæteri Senatores & Nobilitas vniuersa in officio
 contineretur, & diuersa sentientes in concordiam redi-
 gerentur: Principum quoque ac Ducum feudatorum,
 ambitus Primatu retunderetur: vt minus iij molestè fe-
 rant, Primate Regni in consilijs & confessibus publi-
 cis sibi præferri & præsidere. Quod, quam multum ad li-
 bertatem retinendam conferat, non est obscurum. Iam-
 vero Regis quoque ipsius interest; habere vnum in Re-
 gno suo recti monitorem, qui ad aliora non aspiret, &
 qui suborientes nonnunquam à turbulentis & seditionis
 hominibus contra ipsum immerentem, aut etiam benè me-
 rentem, motus, prudentia, consilijs, & autoritate sua pla-
 cide componere possit, ipsumque de existimatione, ne di-
 cam de stari suo, periclitantem, dilutis sinistris suspicio-
 nibus, tueri & subleuare.

Constat igitur distante natura, ratione, ornamento &
 utilitate

DE PRIM: SENAT: REG:
utilitate publica, usu & moribus antiquis, exemplis alicuius
benè constitutorum Regnorum, decretis denique et legi-
bus Regni, & in uestitutis Regum superiorum, Primatum
anciquius esse, & esse debere, in Regno & Repub. nostra
eumque honorem, cum suis officijs, proprium & peculiare
rem esse Gnesensis Archiepiscopi. Non debet autem
is conuelli aut labefactari ad ijs, qui custodes ha-
beri volunt libertatis publicæ, & qui iura
ac privilegia & prærogatiuas suas
lartas rectas conserva-
re cupiunt.

